Ф
21053

Umbreit, Friedrich Wilhelm Carl.

FRIDERICI GVILIELMI CAROLI VMBREIT
SONNEBORNA - GOTHANI

290048

COMMENTATIO

EXHIBENS

HISTORIAM EMIRORVM AL OMRAH EX ABVLFEDA.

IN CERTAMINE LITTERARIO

CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

DIE IV. IVNII MDCCCXVI

PRAEMIO REGIS MVNIFICENTIA CONSTITVTO

EX SENTENTIA

ILLVSTRIS PHILOSOPHORVM ORDINIS

OBNATA.

Imperium ſemper ad optumum quemque a minus bono transfertur.
C. C. SALLVSTIVS.

GOTTINGAE
TYPIS HENRICI DIETERICH
MDCCCXVI.

3
Copy
3
24
47

D3234
.A17U5

DS 25 June 57

OPTIMO PRINCIPI

AVGVSTO

SERENISSIMO DVCI SAXO - GOTHANO

PATRI PATRIAE

PRIMITIAS STVDIORVM SVORVM IN ARA, SVMMAE
REVERENTIAE CONSECRATA,

SACRAS ESSE IVBET

AVGVSTISSIMI NOMINIS

DEVOTISSIMVS CVLTOR,

AVCTOR.

東亞經濟調査局
分類
受入 21053

CONSPECTVS.

PRAEFATIO. . . . . pag. 1—9

§. 1. De Emirorum al Omrah poteſtatis ambitu. — 1—3

§. 2. De cauſis Emirorum al Omrah poteſtatis. — 3

§. 3. De tempore, per quod poteſtas durabat. — 3—4

§. 4. De libris ad illuſtrandam Abulfedae narrationem in ſubſidium vocatis. . . — 4—9

SECTIO PRIMA, *quae continet res, a primo Emirorum al Omrah, Mohammede, ab anno 324 Arab. (Chriſt. 935) vsque ad Moezeddaulam, primum Bagdadi Buidarum a. 334 (Chr. 946), geſtas.* . — 9—39

§. 1—2. Creatio primi Emiri al Omrah, Mohammedis, Raieki filii. . — 9—11

§. 2—6. Mohammedis geſta. . . — 11—17

§. 6—7. Bahcam in Raiekidis locum ſubſtituitur Emir al Omrah. . — 17

§. 7—10. Bahcami fata. . . — 17—22

§. 10—11. Radii Chalifae mors. . — 22

§. 11—12. Creatio noui Chalifae, Mottakii billah. . . . — 22—24

§. 12—13. Bahcami nex. . . — 24—26

§. 13—14. Baridicus per aliquot dies E. a. O. — 26—27

§. 14—15. Curtekin per breve tempus E. a. O. — 27—28

§. 15—16. Raiekides denuo Bagdadi E. a. O. — 28—29

§. 16—17. Naſereddaula E. a. O. creatur. — 29—30

§. 17—19. Naſereddaulae geſta. . — 30—32

§. 19—20. Turun E. a. O. creatur. . — 32—33

§. 20—23. Discordia inter Turunum et Mottakium. . . . — 33—37

§. 23—24. Moſtacfi billah Chalifa creatur. pag. 37
§. 24. Turuni mors et Schirzadi filii ſucceſſio. — 37—39

SECTIO SECVNDA, *hiſtoriam a Moezeddaula vsque ad Adadeddaulae mortem, ſiue ab anno Arab* 334 (*Chr.* 946) *vsque ad annum* 372 *Arab.* (*Chriſt.* 982) *exponens.* . . . . — 39—84

§. 1—2. De Buidarum dynaſtiae initiis. — 39—42
§. 2—3. Moezeddaula Emir al Omrah creatur. — 42—44
§. 3—4. Moſtacfi imperio depellitur et Motia Chalifa creatur. . . — 44—46
§. 4—5. Bellum inter Naſereddaulam et Moezeddaulam. . . . — 46—49
§. 5—6. Mors Amadeddaulae. . — 49—51
§. 6—9. Moezeddaulae geſta. . . — 51—53
§. 9—10. Mors Moezeddaulae. . — 53—56
§. 10—11. Bochteiar Emir al Omrah. — 56
§. 11—12. Naſereddaula a filio comprehenditur. . . . — 56—58
§. 12—13. Adadeddaula Kermana potitur. — 58
§. 13—14. Mottakii mors. . . — 58
§. 14—16. Bagdadi tumultus. . — 58—60
§. 16—17. Motiae abdicatio eiusque filii Taiae ſucceſſio. . . . — 60—62
§. 17—18. Discordia inter Bochteiarum et Soboctekinum. — Adadeddaulae Bagdadi aduentus. . . — 62—65
§. 18—19. Adadeddaulae perfidia in fratrem. — 65—66
§. 19—20. Adadeddaula in Perſidem redit. — 66—67
§. 20—21. Brevis Rocneddaulae vitae adumbratio. . . — 67—68
§. 21—22. Rocneddaulae mors. . — 68—70
§. 22—23. Adadeddaula Emir al Omrah. — 70—71
§. 23—24. Bochteiari perfidia. . — 71—72
§. 24—28. Adadeddaulae bella. . — 72—80
§. 28—29. Adadeddaulae domi geſta. — 80—82
§. 29. Mors Adadeddaulae. . . — 82—84

SECTIO TERTIA, *quae comprehendit tempus ab Adad-eddaulae morte vsque ad Seldſchukidarum imperii Bagdadi initium, ſiue ab Arab. anno* 372 (*Chriſt.* 982) *vsque ad annum Arab.* 447 (*Chr.* 1055). . pag. 84 — 112

§. 1 — 2. Samſameddaula Emir al Omrah. — 84 — 85
§. 2 — 3. Samſameddaula a fratre Scharfeddaula capitur, et . . — 85 — 88
§. 3 — 4. obcaecatur. . . — 88 — 89
§. 4 — 5. Scharfeddaulae mors. . — 89
§. 5 — 6. Bahaeddaula fit Emir al Omrah. — 89 — 94
§. 6 — 7. Diſſidia Bagdadi. . — 94
§. 7 — 8. Hamdanidarum Mauſolam reditus. — 94 — 95
§. 8 — 9. Taiae lillah abdicatio. . — 95 — 96
§. 9 — 10. Cader billah Chalifa. . — 96
§. 10 — 11. Exercitus ſeditio contra Bahaeddaulam. — 96 — 97
§. 11 — 14. Bahaeddaulae geſta. . — 97 — 99
§. 14 — 15. Bahaeddaulae mors. . — 99
§. 15 — 16. Soltaneddaula Emir al Omrah. — 99 — 101
§. 16 — 17. Exercitus tumultus contra Soltaneddaulam. . . — 101
§. 17 — 18. Moſcharrefeddaula Emir al Omrah. — 101 — 102
§. 18 — 19. Moſcharrefeddaulae geſta. — 102
§. 19 — 20. Mors Soltaneddaulae. . — 102 — 103
§. 20 — 21. Mors Moſcharrefeddaulae. — 103
§. 21 — 22. Tumultus Bagdadi. . — 103 — 104
§. 22 — 23. Dſchalaleddaula Abu Taher rex. — 104 — 105
§. 23 — 24. Cauameddaulae mors. . — 105
§. 24 — 25. Mors Chalifae Caderi billah et Chalifatus Caiemi beamr-allah. . — 105 — 106
§. 25 — 27. Tumultus Bagdadi. . — 106 — 107
§. 27 — 28. Inimicitiae Caiemi cum Dſchalaleddaula.. . . . — 107
§. 28 — 29. Mors Dſchalaleddaulae. — 107
§. 29 — 30. Malek-Abu-Calidſchar. — 107 — 108
§. 30 — 31. Mors Abu-Calidſchari et eius filii Malek-er-Rahimi imperium. — 108 — 109
§. 31 — 32. Togrul-Beki nomen in Bagdadi templis nuncupatur. . . — 110 — 111
§. 32. Populus pugnat contra Togrul-Beki milites et Malek-er-Rahim capitur. — 111 — 112

E R R A T A.

Pag. 24. Lin. 12 l. *fugam* pro *fuſſam*; et n. *i*) l. 3 *brigandage* p. *brigaudage*
— 33. n. *q*) l. 4 l. *Emir al Omrah illi latroni* pro *Emiro al Omrah illum latronem*
— 35. — *z*) l. 3 l. *oter* pro *oſter*
— 36. — *e*) l. 1 l. ههلا pro ههلا
— 42. — *r*) l. 3 l. *la qual vindio* p. *lo qual rindio*
— 45. l. 5 l. *propellebat* p. *propellabat;* et n. *b*) l. 2 l. ܚܕܝܗ p. ܚܕܝܗ et n. *e*) l. 7. l. *ſoupçon* p. *ſoubçon*
— 48. — 16 l. *fiat* p. *fecit*
— 49. n. *u*) l. 3 l. *pareret* p. *parreret*
— 51. l. 11 l. *Moezeddaulae* p. *Moezeddaula*
— 56. — vlt. l. *halitum* p. *habitum*
— 60. — 4 l. *Niſibinenſibus* p. *Niſilineſibus*
— 62. — vlt. l. *eandem* p. *eundem*
— 67. — 6 l. *ſubiiciamus* p. *ſubiociamus*
— 69. — 7 a fin. l. *excepta* p. *accepta*
— 72. — 4 l. *exigere* p. *erigere*
— 79. n. *e*) l. 3 a fin. l. *cercadores* p. *cercadesres*
— 83. l. 4 l. *prodidit* p. *prodiit*
— 84. n. *b*) l. 2 a fin. l. *adnotatione* p. *adnotione*
— 86. l. 9 l. *proficiscitur* p. *profiscitur*
— 93. - 3 l. *asſato* p. *aſſalto*
— 96. - penult. l. *filiam* p. *filium*
— 107. - 1 l. *Caiemi* p. *Caderi.*

滿洲鐵道株式會社東亞經濟調査局藏書之印

Concinnetur Emirorum al Omrah, qui ſub Chalifis Abbaſidis rerum potiti ſunt, hiſtoria ex Abulfedae annalibus Moslemicis, ita vt res ab iis geſtae ſimul ex aliis ſcriptoribus illuſtrentur.

Ita quidem quaeſtio ab Illuſtri Philoſophorum ordine propoſita eſt. Antequam vero ad hiſtoriam rerum ab Emiris al Omrah geſtarum tractandam progrediamur, de illorum poteſtate, eius videlicet ambitu, cauſis et tempore, per quod vigebat, et de ſcriptoribus, quos ad illuſtrandam Abulfedae narrationem in ſubſidium vocauimus, quaedam praemittenda ſunt.

§. 1.

De Emirorum al Omrah poteſtatis ambitu.

Titulus ipſe *Emir al Omrah* i. e. *princeps principum* virum ſummae in republica poteſtatis deſignat. Profecto ille non vanus et inanis fuit titulus, cuius inſtar multi, praeſertim in terris orientalibus, exſtant, ſed potius poteſtati, cui tributus erat, plane reſpondit. Nam ille ſtatim, qui primus Emiri al Omrah honore gauiſus eſt, inter amicos Chalifae in omnipotentis quaſi Veziri locum ita, vt huic nil niſi nomen muneris reſtaret, ſubſtitutus fuerat. Quin immo Emir al Omrah Veziro potentia praeſtitit. Tanta enim fuit eius auctoritas, vt non ſolum omnes res per Chalifae vaſtum imperium illius nomine gubernaret, bella gereret et pacem faceret, ſed etiam nomen eius Chalifae nomini in publicis precibus ſubiungeretur. Quamuis autem a primo ſtatim initio illa poteſtas maximi fuit momenti, diu tamen nec firma ſatis nec perpetua fuit, ſed vario modo ſublata. Nam vsque ad tempus, quo Buidae illa potiti ſunt, vnus tantummodo fuit Emir al Omrah, cui per totam vitam auctoritas manſit: alter alterum de imperio deiecit, dum vnusquisque eorum, caeca regnandi cupiditate

impulſus, Chalifae auctoritatem in ſemet ipſum transferre ita ſtuduit, vt ſibi maiorem eius partem arrogaret. Et parum abfuit, quin ipſa Emirorum al Omrah vix nata dignitas, temeraria eam augendi cupiditate adeo prorſus periret. Chalifa enim, tantae in imperio moleſtiae haud amplius patiens, celeberrimos Buiae filios, qui tum forti manu totam Perſiam ſuae ditioni ſubiecerant, vt ſuam libertatem reſtituerent, in auxilium aduocauit; vel certe, vt alii aiunt, ab iis, qui opportuno tempore Bagdadum venerant, ſua ſponte ſe regi paſſus eſt. Quodſi igitur illi, redditae Chalifis auctoritatis honore contenti, in ſuum regnum rediiſſent, ab eo inde tempore nullius Emiri al Omrah in hiſtoria amplius facta fuiſſet mentio. Sed opportuna illa occaſio regnandi cupidiſſimis atque verſutis principibus ſplendidam certamque ſpem, imperio Perſiae Chalifatum quoque Bagdadenſem adiiciendi, oſtendit. Sub Chalifae igitur tutorum ſpecie Emiri al Omrah facti, cautius, quam qui eos anteceſſerant, vincula, reſtituta Emirorum al Omrah poteſtate, Chalifae iniecta ſenſim ſenſimque tam arcte conſtringere callebant, vt tandem non ſolum illius potentiam in templum et palatium reducerent, et ei victum definirent, ſed ex ipſorum commodo arbitrium quoque in illius vitam et mortem exercerent — ne multa, vt Chalifa nil niſi ludibrium Emiri al Omrah eſſet. Regnante magno Adadeddaula Emirorum al Omrah poteſtas ad ſummum faſtigium euecta, Chalifarum autem plane depreſſa fuit. Poſt eius mortem ſtatim poteſtas, quam firmiſſimam ſtabiliuerat, diſſidiis, inter illius filios exortis, magis ac magis labefactata, in eandem, qua laborabat Chalifatus, humilitatem delapſa eſt, cum Seldſchukida Togrul - Bek Buidarum, ſed haudquaquam Emirorum al Omrah imperio finem imponeret. Poſtquam enim, a Chalifa aduocatus, tumultus ſeditionesque ſedauerat, ſub Chalifae defenſoris ſpecie, imperium, vt quondam Buidae, quamuis non ſub Emiri al Omrah titulo, (qui quidem iam ſub Buidis in titulum Regis (ملك) et Soltani (سلطان) transierat) eadem tamen, qua ille fruebatur, poteſtate, vna cum eo geſſit. Sed iam eo, magis tamen regnantibus ipſius ſucceſſoribus, Chalifa idem, qui quondam ſub Buidis, fuit. Dependebat enim a Seldſchukidis, donec eorum vaſtum regnum diuidebatur. Tunc Chalifae libertas reſtituta eſt.

§. 2.

De caufis Emirorum al Omrah poteftatis.

Caufae, ex quibus illa poteftas exorta eft fub Abbafidis, in eorum regnandi ratione inueniri poffunt. Ab Abbafo enim vsque ad Radium, qui primum Emirum al Omrah inftituit, vnicuique Chalifae Vezirus feu confiliarius, qui pro eo rerum gubernator effet, adiunctus fuit. Nam, quemadmodum Ommiadae gloriam in fundando vafto regno pofuerant, ita Abbafidae in litteris excolendis excellere ftudebant, adeoque omnia ad imperium pertinentia negotia negligebant. Tali modo Chalifae fuam auctoritatem fua fponte in Veziros transtulerant, ita vt, fi illis, in facrofanctos fidelium (المومنين). Tutores potentia abutendi, fatis fuiffet audaciae atque proteruitatis, iam tunc, ficut poftea ab Emirorum al Omrah, a fuorum Vezirorum voluntate arbitrioque plane dependiffent. Mox tamen mala, quae a Chalifarum rerum imperii negligentia proficifcebantur, cerni coepere. Praefecti enim, qui per omnes lati regni prouincias difperfi erant, Veziri iufforum rationem non habere, et in prouinciis, iis demandatis, ex fuo arbitrio commodoque agere, et parua regna fibi conftituere, et regum titulos fibi vindicare, et Chalifae debitum tributum recufare; ne multa, illius imperium in folam vrbem coarctare. Sed in ea ipfa factiones trudebant factiones, quae maxime fententiarum de rebus diuinis varietate conflatae erant. Radio igitur Chalifa res turbidae atque confufae Bagdadi et circum eam eo venerant, vt ille, dura rerum neceffitate coactus, Mohammedem, Raieki filium, quendam illorum fuperborum praefectorum ex vrbe Vafeta (cui quidem praeerat) ad rerum ordinem reftituendum aduocaret, eique vna cum poteftate, cuius, auctoritatis atque potentiae aduerfus Chalifatum ratione habita, fimilis nondum exftiterat, honoris titulum Emiri al Omrah daret. En! caufas Emirorum al Omrah imperii.

§. 3.

De tempore, per quod Emirorum al Omrah poteftas durabat.

Quod attinet ad tempus, per quod durabat illa Emirorum al Omrah poteftas, eius fpatium ex iis, quae fub §. 1mo de illius crefcente auctoritate atque tranfitu ab altera gente ad alteram monui-

mus, ſatis patet. Ita quidem temporis ſpatium, ſi nominis Emiri al Omrah haud rationem habemus, definiri poteſt. Tituli vero reſpectu habito, tempus, per quod illa poteſtas florebat, multo brevius eſt. Nam iam ſub Buidis *Emir al Omrah* modo cum *Rege*, modo cum *Soltano* apud ſcriptores mutatur. Quodſi igitur, ratione tituli ſolius habita, Emirorum al Omrah hiſtoriam tractamus, ne nimia breuitate hic noſter libellus laboret, periculum eſt; ſi vero, nomine neglecto, omnes, qui Emirorum al Omrah ordini, quamuis non ipſo titulo a ſcriptoribus ornantur, tamen ſecundum poteſtatem, qua gaudebant, adnumerari poſſunt, in noſtram hiſtoriam admittimus, nos nimia longitudine fines transgredi credidimus. Quare, quod in prouerbio dicitur: *medio tutiſſimus ibis*, ſecuti ſumus. Itaque hiſtoriam vsque ad vltimum Buidarum perduximus, quamuis neutiquam Seldſchukidas ab Emirorum al Omrah numero excludendos cenſemus. Nam iis rerum potitis, Chalifae pari modo, quo ſub Buidis, omni adminiſtrationis imperii poteſtate exuti erant, dum, Togrul-Bekum omnesque, qui ei ſuccedebant, iisdem, quibus quondam Buidas, honoratos fuiſſe inſigniis, apud ſcriptores legitur. — Secundum Emirorum al Omrah increſcentem et decreſcentem auctoritatem eorum hiſtoriam tribus ſectionibus diſtinximus. Prima continet res, a primo Emirorum al Omrah, Mohammede, ab anno 324 Arab. (Chriſt. 935) vsque ad Moezeddaulam, primum Bagdadi Buidarum a. 334 Arab. (Chr. 946) geſtas. Secunda pertractat hiſtoriam a Moezeddaula vsque ad eius patruelis, Adadeddaulae, maximi Emiri al Omrah mortem, ſiue ab anno Arab. 334 (Chriſt. 945) vsque ad annum 372 Arab. (Chriſt. 982). Tertia denique comprehendit tempus ab Adadeddaulae morte vsque ad Seldſchukidarum imperii Bagdadi initium, ſiue ab Arab. anno 372 (Chriſt. 982) vsque ad annum Arab. 447 (Chriſt. 1055).

§. 4.

De libris, quos ad illuſtrandam Abulfedae narrationem in ſubſidium vocaui.

1) Abulfedae annales Moslemici. Opera et ſtudiis Io. Iacobi Reiskii, ſumtibus atque auſpiciis Petri Friderici Suhmii, nunc primum edidit

Iacobus Georgius Christianus Adler. Tom. II et III. Hafniae 1790 et 1791.

Plura de Abulfeda, et eius aetate, fatis et scriptis hic adiicere, Ilias post Homerum esset. Quis enim est, cui vel minima scriptorum Orientalium cognitio sit, qui ignoret, Abulfedam, Soltanum Hamatae, ineunte saeculo 13mo floruisse, et litteris, praesertim historiae et geographiae scriptis suis, quae egregie excellunt inter libros aliorum scriptorum Orientalium, magnam comparasse vtilitatem? — Multa adtulit de eo Koehlerus in Repertorio für bibl. und morgenl. Litteratur T. II. p. 54 seqq. Cf. Casiri Biblioth Escurial. T. II. p. 14 seqq. Rosarium Gregor. in Rerum Arabicarum ad Historiam Siculam spectantium ampla Collectione, Panormi 1790. fol. p. 67 seqq. — Cf. quoque ea, quae Adlerus T. I. p. V. nostri autoris ex praefatione Reiskii ad editionem latinam primae partis Abulfedae annalium citat, vbi quoque p. VIII nonnulla de nostri fontibus inuenies.

2) تاريخ المسلمين Historia Saracenica etc. Arabice olim exarata a Georgio Elmacino, filio Abil Gaseri Elamidi, et latine reddita opera ac studio Thomae Erpenii. Accedit et Roderici Ximenez archiepiscopi Toletani Historia Arabum, longe accuratius, quam ante e Misto Codice expressa. Lugd. Bat. 1625. fol.

Georgius Elmacin (جرجس المكين) anno 620 Arabum (Christ. 1223) in Aegypto natus, 672 (Christ. 1273 — 1274) Damasci mortuus est. Distincte narrat, ab initio tamen historiae Emirorum al Omrah fusius, quam sub finem Buidarum. — Si plura de hoc scriptore scire vis, adeas quoque Koehlerum in Repertorio für bibl. und morgenländ. Litteratur T. II. p. 47.

3) تاريخ مختصر الدول Historia compendiosa Dynastiarum autore Georgio Abulfaragio, Malatiensi medico, arabice edita et latine versa ab Eduardo Pocockio. Oxoniae 1663. 4. eiusdemque autoris opus syriacum sub titulo.

4) ܬܪܝܡܬܐ ܕܡܬܪܝܢ ܐܝܟ ܡܬܪܝܢ ܕܟܬܒ ܡܪܝ ܦܪܝܡܘܢ ܒܪ ܥܒܪܝܐ i. e. Bar Hebraei Chronicon syriacum. E Codicibus Bodleianis descriptum coniunctim ediderunt Paulus Iacobus Bruns et Georgius Guilielmus Kirsch. Lipsiae 1788. 4. 2 voll.

Georgius Abulfaragius vel Bar Hebraeus Mafrianus Orientis fuit, quo munere functus optime meruit. Sed scriptis quoque magnam gloriam sibi comparauit. Inde a vigesimo vitae anno vsque ad vl-

timum halitum, nunquam legere et ſcribere deſiit. Ipſe multos libros in lucem prodidit, aliosque ex vna lingua in alteram transuertit. Ex ipſius operibus, a fratre enumeratis, Abulfaragium laborioſiſſimum atque varia doctrina excultiſſimum fuiſſe, apparet. Nam ſi ex librorum titulis nobis concludere licet, fuit ille et Theologus, et Philoſophus, et Philologus, et Grammaticus, et Medicus, praecipue autem Hiſtoricus. Scripſit enim Chronicon Syriacum tribus partibus conſtans, quarum prima continet chronicon patrum et regum, altera Chronicon Patriarcharum Antiochiae et Iacobitarum, tertia Patriarcharum et Maſrianorum Orientis. Chronicon enim, quod Bruns et Kirſch ediderunt, prima tantummodo pars totius operis eſt. Hiſtoria dynaſtiarum, vt vulgo dicitur, Chronici Syriaci compendium eſt Arabicum; quod vltimis vitae diebus, rogantibus eum quibusdam Arabibus, eum incepiſſe, ſed haud abſoluiſſe, ab illius fratre narratur *a*). In conficiendo compendio alios quoque ſcriptores adhibuiſſe videtur. Saepiſſime enim hiſtoria dynaſtiarum cum Chronico Syriaco parum conſentit, ita vt illa in lingua Arabica exarata editio appellari poſſit. Hoc certe in ea librorum parte cerni poteſt, vbi Abulfaragius de Emiris al Omrah ſcripſit. In Chronico enim Syriaco res nimia breuitate atque tenuitate narrantur, quas in hiſtoria dynaſtiarum ſcriptor fuſius atque clarius refert. Fontes ſuos breuiter tantummodo indicat, nec autores ipſos, vt e. g. Abulfeda, enumerat. Libros enim ex multis Syriacis, Arabicis et Perſicis, quae in bibliotheca (ܡܕܝܢܬܐ) Maragae, vrbis Adſerbidſchan, inuenerit, operibus compoſuiſſe, ipſe dixit. Memorabile mihi videtur, pluribus hiſtoriae dynaſtiarum locis eius narrationem cum Abulfedea in ipſis verbis convenire, ita vt vterque ſcriptor ex vno eodemque fonte hauſiſſe videatur.

5) Bibliothèque orientale par D'Herbelot Tom. I–III à la Haye 1777. 4. Plerumque ea, quae in hoc doctiſſimo opere ad Abulfedae hiſtoriam illuſtrandam inueni, ex Perſicis ſcriptoribus, praecipue ex Khondemiro, hauſta ſunt. Cum autem plures huic operi elaborando operam nauarent, nec Herbelotus ipſe, praematura morte prohibitus, a variis varia collata examinare et emendare poſſet, haud raro rerum narratarum repugnantiae occurrunt.

---

a) vide Aſſemani Bibl. Or. Vat. T. II. p. 265, vbi dicitur: "ܬܪܝܢ ܦܠܓܝܐ ܕܠܐ ܫܠܡܘ i. e. reliqua fuerunt circiter tria folia."

6) Lubb-It-Tavarich ſeu medulla Hiſtoriarum autore Ommia Jahhia etc. Vulgo hocce opus Perſicum, quod Ommia Jahhia 948 Arab. (Chriſt. 1541) ſcripſit, ab Herbeloto pronunciatur Labb al Tarikh et Lebtarikh et Labb al Taovarikh. Gallandus, qui Herbeloti bibliothecam orientalem edidit, Ommiae Jahhiae operi titulum *Lubb-It-Tavarich* impoſuit et verſionem latinam a populari Gaulmino male inceptam male perfecit. Simulac autem liber Pariſiis typis impreſſus fuerat, ſtatim, ex incognitis cauſis, ne in lucem prodiret, retentus eſt. Poſtea Reiskius, nimia libri raritate permotus, apographum exempli, quod in bibliotheca Dresdenſi Regia, tum Electorali, inuenit, ſibi deſcribendum curauit, quod deſcriptum Antonio Friderico Büſchingio tradidit. Inuenies hocce in eius collectione vtiliſſima ſub titulo: *Magazin für die neuere Hiſtorie und Geographie.* T. XVII p. 1-180, Halle 1783, 4.

7) Relaciones de Pedro Teixeira d'el origen deſcendencia y ſucceſſion de los Reyes de Perſia, y de Harmuz, y de un viage hecho por el mismo autor dende la India oriental haſta Italia por tierra. En Amberes en caſa de Hieronymo Verduſſen MDCX. Hunce librum Hispanicum C. Cotolendi male in linguam Gallicam Paris. 1681. 2 Voll. in 12 mai., Iohn Stevens optime in Anglicanam ſub titulo: the Hiſtory of Perſia, Lond. 1715. 8. transtulit.

Petrus Teixeira fuit primus, qui hiſtoriae ex celeberrimi Perſarum ſcriptoris Mirkhondii annalibus vtilitatem comparauit. Eius enim relationes in Luſitanam, deinde in Hispanicam linguam converſas edidit. Interdum Teixeirae narratio perſpicuitate caret, nec cum aliorum ſcriptorum relatione conciliari poteſt. Aliis tamen locis, praeſertim ſub finem Buidarum imperii, vbi fuſius, quam Abulfeda refert, egregie ad eius narrationem ſupplendam atque illuſtrandam adhiberi poteſt.

8) (Renaudot) Hiſtoria patriarcharum Alexandrinorum Iacobitarum a D. Marco vsque ad finem ſaeculi decimi tertii; accedit Epitome Hiſtoriae Mahomedanae ad illuſtrandas Res Aegyptias. Omnia collecta ex Auctoribus Arabicis. — Hunc librum Cabaſſutii iuris canonici theoriae et praxi ſubiectum in noſtra bibliotheca inueni.

Hocce opus exiguam tantummodo vtilitatem nobis praebuit. Plurima hauſit ex Elmacino, quamuis eum, tanquam malum ſcriptorem, perſtrinxit.

9) Deguignes Hiſtoire des Huns etc. T. I. p. I. ſiue: introduction contenant des Tables Chronol. et Hiſtoriques des Princes qui ont regné dans l'Aſie.

Pag. 333 tabulam Emirorum al Omrah chronologicam de eorum imperii et vitae tempore dedit ex Elmacino atque Abulfaragio; p. 406 inuenies eodem modo tabulam Buidarum, vbi praecipue ex Mirkhondio hauſiſſe videtur.

10) Hiſtoire des Arabes ſous le Gouvernement des Chalifes par M. L'Abbé de Marigny T. IV. à Paris MDCCL.

Arabicae linguae, vt autor ipſe in operis praefatione profeſſus eſt, nescius, omnia ex Herbeloto, plura quoque ex Renaudoto, quem magno elogio ornat, hauſit. Nonnulla tamen ex ſuo ingenio adiecit, quae ſuo loco adnotabimus.

Cum litterae Arabicae haud ex lege certa, ſed a variis ſcriptoribus vario modo pronuncientur, opus eſt, vt legem, quam in litteris efferendis mihi ſcripſi, indicem:
ت Syr. ܬ pronunciabo th; ث tſ; ج dſch; ح Syr. ܗ h; خ Syr. ܟ ch; ذ dſ; ز Syr. ܙ z; ص Syr. ܨ ſ, ض d; ظ dh; غ g; ف f; ق et ك Syr. ܩ k.

SECTIO PRIMA,

quae comprehendit historiam Emirorum al Omrah ab anno Arabum 324. Christ. 935 vsque ad annum Arab. 334 Christ. 946, siue a Mohammede, Raieki filio, primo Emiro al Omrah vsque ad Moezeddaulam, qui nomine fratris Amadeddaulae primus Buidarum rerum Bagdadi potitus est.

§. 1.

Creatio primi Emiri al Omrah, Mohammedis, Raieki filii.

Anno 324 (Chr. 935), incipit Abulfeda, *Radi* (الرضي) *Chalifa Mohammedem, Raieki filium a), qui Vasetae b) versabatur, vt veniret Bagdadum c), rebusque praeesset, per litteras permouere studuit, dum*

a) Plenum eius nomen fuit: ابو بكر محمد بن رايق Pro رايق scribitur quoque راتق (cf. Abulfarag. hist. dyn. p. 302). Praefectus erat Basrae et Vasetae, vbi, vt solebant eius caeteri collegae, quin Chalifae annuum tributum penderet, recusauit. (v. Abulfed. ann. Moslem. ad annum 324. p. 396).

b) Vaseta (واسط) a. 83 Arab. condita est ab Hedschadscho (الحجاج) (cf. Abulfed. ann. Moslem. ad hunc annum) Anno 132 Arab. venit in potestatem Abbasidarum, quorum imperii initium in hunc annum incidit. (cf. Abulfed. p. 480 et 482, praesertim autem locum, quem Reiskius in adnot. hist. p. 737 ex Ebn Cotaiba citauit; v. quoque Elmacin. hist. sarac. p. 93 et 97.) Cur appellata sit media vrbs, varia coniecere Geographi. Optime mihi placet illius nominis causa, quia scilicet quinquaginta parasangis a quatuor maximis vrbibus aequaliter distet, a Basra, Cufa, Ahuaza et Bagdado (cf. Abulfed. geograph. p. 261 in quarta parte operis Büschingii sub titulo: *Magazin für die neuere Historie und Geographie.*) Quod autem attinet ad Vasetae situm, secata fuit illa vrbs a Tigride in duas partes, (cf. Geogr. Nubiensem in vers. lat. p. 120) a quo situ fortasse quoque nomen traxit, ita vt significet واسط, vrbs in duas partes quasi dimidiata.

c) Vrbs capitalis Abbasidarum erat. Aedificauerat eam a. 145 Arab. Mansor Chalifa, (المنصر) cum Haschemiae, (الهاشمية) vbi vsque ad hoc tempus sedem habuerant Abbasidae, haud diutius a vicinis Cufensibus se tutum esse putaret. (Abulfed. annal. Moslem. P. II. p. 15 et 17.) Locus vrbis condendae, ex Astrologorum consilio electus, erat viride

ſummum exercitus imperatorem eum declarabat, precesque a templorum ſuggeſtibus ei fieri iubebat d). Raiekides igitur vltimo h. a. menſe e) vr-

pratum, in quo caſa monachi conſpiciebatur, Bagdadi nomine, vnde in eius locum condita vrbs appellabatur (Elmac. p. 102). Sed multa alia coniecere ſcriptores de huius vrbis nominis origine, (cf. e. g. Bar Hebraei chron. Syriac. p. 129; Abulfed. Geograph. p. 252; Golii notas ad Alfragan. p. 122) ex quibus omnibus coniecturis hoc certe apparet, vrbem a loco, quo aedificabatur, nomen traxiſſe. Male confunditur autem Bagdad cum vetere Chaldaeorum metropoli, Babylone, praeſertim a ſcriptoribus hiſtoriae Byzantinae, et Bizaro aliisque. Sed Tigris diuidit Bagdadum, Euphrates vero Babylonem bifariam!

d) ان يخطب له على المنابر i. e. "vt ei preces fierent in ſuggeſtibus ſcil. templorum." Reiskius in verſione latina: "vt eius nomen poſt nomen Chalifae per templorum ſuggeſtus publico praeconio et piis votis cohoaneſtaretur" recte verborum ſenſum interpretatur. Non ita Erpenius in verſione Elmacini p. 203 "et iusſit eum pro ſe concionari ſuper ſuggeſto" quae quidem verba, ita verſa, ſignificarent, Chalifam Emiro al Omrah ipſius loco preces publicas in templis nuncupandi, dediſſe poteſtatem; quod quidem hiſtoria non confirmatur. Chalifae enim, regnandi poteſtate plane exuti, per omne tamen ſeruitutis tempus in concionibus ſacris primum locum, quem Emiri al Omrah iis lubenter concedebant, tenuere. Vni tantum Emiro al Omrah ex Buidarum gente, celeberrimo Adadeddaulae, honor ille, preces publicas nuncupandi, a Chalifa concedebatur. Sed ſcriptores, qui hoc enarrant, ſimul adiiciunt, tam inſignem honorem ante illius Emiri al Omrah tempus haud alii, ne Chalifae quidem ſucceſſori iam deſtinato tributum fuiſſe (cf. Elmacin. p. 236 et 237; Abulfarag. hiſt. dynaſt. p. 318) Renaudotum (p. 345) igitur et Ommiam Iahhiam illam de primo Emiri al Omrah poteſtate religioſa enarrationem quoque dediſſe, equidem miror. Renaudotus, vt ipſe indicat, illud hauſit ex Elmacino, cuius verba non melius, quam Erpenius, quem ſaepe culpat atque vituperat, reddidit. Ommiae Jahhiae verſio, qualis ſit, iam ſupra dixi. Ne multa, يخطب non يَخَطَّبُ ſed يُخَطَّبُ pronunciandum eſt; خطبة ſignificat igitur, vt Meninskius in ſuo theſauro verbum interpretatur: "oratio ſolemnis, quae fieri ſolet a Muſelmanis poſt precationem meridionalem feriae ſextae in maioribus fanis, vbi benedicitur Mohammedi, eiusque familiae ac regi, vel monarchae tunc regnanti."

e) "Fine menſis Hedſchae" ſic quoque Elmacin, qui accuratius vigeſimum et quintum h. a. diem determinat. ذي الحجة autem eſt vltimus anni menſis Arabum, qui nomen trahit a. r. حَجَّ (חָגַג) aliquo contendit pec. aedem Meccanam profectus eſt. Illo enim menſe peregrinationes Meccanae fiebant.

bem intrauit, postquam iam ante ipsius introitum Sadschitas (الساجية) *comprehendi iusserat, qua de causa eum Hadschritae* (الحجرية) *auersabantur f). Simulac autem Bagdadum intrauerat, statim desiit Veziratus, et Raiekides omnibus imperii partibus solus ipsique circa vrbem tractui praefectus fuit, ita vt Chalifae nil nisi vrbs restaret. Sed in ea ipsa omnis imperandi atque iudicandi potestas penes Raiekidem fuit.*

Abulfeda, vt patet ex eius enarratione, haud dicit, Chalifam Raiekidi titulum Emiri al Omrah dedisse, sed eius successori demum illum tribuit *g*). Caeteri autem scriptores ad vnum omnes iam Raiekidem appellatum fuisse Emirum al Omrah, perhibent *h*). Noster igitur, ab omnibus aliis discrepans, ex negligentia quadam Mohammedi Emiri al Omrah, cuius potestatem certe illi tribuit, titulum detraxisse, videtur. Sed pergit:

§. 2.

Eodem anno Mohammed Raiekides Fadalum, Dschaafari filium, filii Farathi, qui in Aegypto et Syria procurator fuit, aduocatum Bagdadum ipsius ac Chalifae Vezirum esse iussit.

Elmacin *i*), Raiekidem Ahmedem, Alii filium, suimet ipsius scribam, qui iisdem negotiis, quae Veziri olim procurassent, vacauerit, fecisse, tradit. *Nam*, adiicit ille scriptor, *ab eo inde tempore*

---

f) Sadschitae et Hadschritae duo militum genera Bagdadi fuere 1) Sadschitae nomen capiebant a Josepho, (يوسف) filio Abi-Sadschi, (بن ابن الساج) cuius imperio subditi erant, (cf. Abulfed. annal. Moslem. P. II. p. 350). Postea, quamuis in ducis illius, a Caramitis interfecti, locum alius substitutus fuerat, tamen prioris nomen militibus mansit. 2) Hadschritae militum genus ad carceres in vrbe custodiendos institutum fuisse videtur; حجر enim significat: "prohibuit" vnde nomen حجرية is, qui prohibet captiuos ab effugio e carcere.

g) Abulfedae annal. Moslem. ad ann. 326 p. 405.

h) Cf. e. g. Elmac. hist. Sarac. p. 203; Abulfarag. hist. dynast. p. 302; Herbelot orient. biblioth. T. III. p. 102.

i) Elmacin. hist. Sarac. p. 203: "واستكتب احمد بن علي ونظر فيما كان الوزرا ينظرون فيه ومن ذلك اليوم بطل امر الوزارة ببغداد ولم يبق الا اسمها" Addit Erpenius in latina versione illum Scribam Cufaeum fuisse: vnde hoc additamentum, cum alias additamenta in Erpenii versione rara sint?

(*quo primus Emir al Omrah creatus fuerat*) *Veziri munus Bagdadi desiit, ac nil nisi nomen vanum illius restitit.* At ne nomen quidem eodem autore mansit: nam *scribam*, non *Vezirum* fecit Raiekides.

§. 3.

Anno 325 Mohammed Raiekides Radio, vt expeditionem bellicam contra Vasetam ad bellum Baridico k) inferendum, secum susciperet, persuasit. Huius expeditionis, cuius Elmacin quoque mentionem facit *l*), causam neuter adiecit. Sed facile coniici potest. Nam Baridicus Chalifae imperio sese subtraxerat, atque nunc Ahvazae, tanquam eius rex, Radio tributum debitum recusabat *m*). Raiekides igitur, quamuis antea ipse quoque Chalifae voluntati haud paruerat *n*), nunc, eius defensor factus, Radium ad puniendam Baridici superbiam excitabat. Simul Baridicus quoque Vasetae, quae in Baridici manu erat *o*), potitus fuerat. Haec enim apparere videntur ex enarratione Abulfedae, qui pergit: *p*)

---

k) Integrum eius nomen: عبد الله ابن البريدي (quod ابن quoque saepe omittitur); cf. Elmac. p. 210, vbi de Baridici gente et nomine dicit: كان ابوهم صاحب البريد i. e. fuit eius (gentis) pater magister cursorum (postarum, Erpen.) Vide quoque Herbelot. biblioth. orient. T. I. p. 366.

l) Elmac. hist. Sarac. p. 204.

m) Abulfed. annal. Moslem. p. 396.

n) Abulfedae annal. Moslem. l. c.

o) Vt perhibet Elmacin, Vaseta etiam ditionis fuit Baridici (cf. illum p. 203). Sed alio loco idem autor sibimet ipsi repugnat, dum Basram tantum et Ahuazam Baridico tribuit (cf. p. 210) Abulfeda testante, ne Basra quidem sub Baridici potestate fuit (p. 396 et 398).

p) اشار محمد بن رايق علي الرضي بالمسير معه الي واسط لحرب ابن البريدي quae quidem verba ita vertit Reiskius, vt simul causam expeditionis exprimeret: "persuadebat Muhammed, filius Raieki, Chalifae, vt secum Vasetam, et *inde* bello Baridicum Abu-Abdallam, *nouas res molientem* peteret." Reiskius igitur in illis verbis sensum, Baridicum Vasetam occupasse, haud inuenit. At sequentia فاجابه وسار الرضي الي واسط وامسك ابن رايق بعض الاجناد الحجرية illum sensum postulare videntur. Cur enim Raiekides comprehendisset Hadschritas Vasetae? Fortasse ii praesertim hostili Baridico portas vrbis aperuerant. Clarius Elmacini verba p. 204: انحدر الرضي الي واسط وتبعه الامير محمد بن رايق لقتال ابي عبد الله البريدي h. e. descendit Radi Vasetam,

Radius exercitum contra Vasetam duxit, vbi partem militum, qui appellabantur Hadschraei, comprehendi iussit. Baridicus omnia, quae ab eo postulabantur, concessit Raiekidi et Radio; quo facto vterque Bagdadum rediit.

Elmacin *q*) huius pacis conditionum mentionem fecit. Baridicus enim Raiekidi, vt Chalifae trecenta et sexaginta denariorum millia, et quidem triginta millia in singulum annum conferret, simulque exercitum, quem secum haberet, cuidam, ei imperato, traderet, pactus est.

Sed cum vix rediissent, statim Baridicus omnia, quae iis dederat, promissa, irrita reddidit.

Elmacino autore *q*) Basram *r*) ille occupauerat.

Raiekides igitur, pergit noster, *copias. duce Bahcamo, contra eum misit, et proelio commisso, Baridicus, in fugam coniectus, salutem apud Amadeddaulam s*) *quaesiuit. Tum hospiti potentiam Chalifae tanquam plane nullius momenti atque pusillam describendo, in eo cupiditatem, Iracam ipsius ditioni adiiciendi, excitauit.*

Elmacin *t*) rebus eodem anno factis aliam, haudquaquam in Raiekidis honorem, addidit. Abu Taher *u*) enim, (ابو طاهر)

(sequente eum Emiro Mohammede, f. Raieki) vt bello peteret Abuabdallam Baridicum, eum reuera Vasetam expugnasse, docent.

q) Elmacin. hist. Sarac. p. 204.

r) "Basrah est vrbs Islamismi tempore condita in diebus Omari, filii Chattabi, optimi viri. Habet ab occidente suo australi montem, cui nomen est Senan (seu gibbus) in eodem tractu occidentali australi est desertum. In austro quoque est vallis, Wad'in Nesai (seu vallis mulierum) dicta, quo illae egressae colligunt fungos. Abest ille mons, Senan, Bagdado, dimidia fere diaeta. Non est omnino in deserto Basrae ager pluuia foecundus." v. Abulfed. geogr. p. 263.

s) Amadeddaula, (عماد الدولة) filius Buiae, cuius progenies mox excellent in nostra historia, regnabat in Perside (v. Abulfed. annal. Moslem. II. 339 et Elmac. hist. Sarac. p. 203.) De hac Buidarum gente in aptiore loco aliquid proferam.

t) Elmac. l. c.

u) Abu Taher, ex Carmatica gente natus, imperio tenebat Jamamam, (اليمامة) Bahrinam (بحرين) et Hedschram (هجر) cf. Elmac. p. 204. De Carmati origine nominis refert Abulfeda T. II. p. 267: progenitor huius gentis Cuficae Sauedae (سواد الكوفة) morbo oppres-

Caramita, (قرمطي) Cufa occupata *v*), Raiekidem ad pacem, ex qua ſibi a Bagdado in annum centum et viginti denariorum millia ſoluerentur, adegit. Herbelot *x*) et Marigny pecuniae ſummam minorem fuiſſe tradunt.

§. 4.

Anno 326 Moezeddaula y), fratris Amadeddaulae iuſſu, Ahvazam z) eiusque circumiectum tractum cepit.

Baridicus enim, vt ſupra diximus, ad Amadeddaulam fuga conuerſus, Buidas ad bellum Emiro al Omrah inferendum permo-

---

ſus, curabatur a viro, cui nomen erat Carmina (كرمينه) propter oculorum rubedinem: (بحمرة عينيه) nam Carmina (كرمينه) eſt apud Nabataeos (بالنبطية) nomen oculis rubris inditum (اسم لحمرة العين). Vt autem ſalutis ſuae reſtitutori gratiam ageret, nomen mutauit cum Carminato, quod pronunciabatur poſtea Carmat (قرمط) v. quoque Reiskii adnotat. hiſt. ad h. l. T. II. p. 723 et Herbelot. T. I. p. 507 vbi ſimul plura de Abu Tahero inuenies; Abulfed. a. M. T. II, 324 et 346; Elmac. p. 178.

v) "Cufa eſt ad brachium Eufratis, quod ab ipſo egreditur in eius auſtro et occidente. Simpliciter ait Ol Canun, eam eſſe ad propaginem Eufratis. Aequat, vt ait Al Azicus, dimidium Bagdadum fere." Abulfed. geograph. p. 258.

x) v. Herbelot. T. I, p. 510 "Lan 327 (Elmac. 325) Abu-Taher promit de laiſſer paſſer la Caravane des pélerins de la Mecque qui avoit ceſſé de ſe mettre en chemin depuis l'an 319, moyennant la ſomme de 25 mille dinars d'or, que le Khalife Radhi lui fit compter" cf. quoque Abulfed. Tom. II. p. 349, vbi, illum Caabam Meccae expilaſſe et lapidem nigrum ſecum Hedſchram traxiſſe, narratur. Quantum ſcelus!

y) معز الدولة ابو الحسين احمد Moezeddaula Abul-Haſain Ahmed (Abulfarag. hiſt. dynaſt. p. 303. Elmacin. p. 204 appellat eum Maineddaulam. (معين الدولة) Caeterum Moezeddaula nomen a ſcriptoribus praeceptum eſt: cognomen enim erat honorificum, ei poſtea demum a Chalifa Maſtacfio billa inditum.

z) Ahvaza propria fuerat Baridico. Abulfeda in geogr. p. 250 refert de ea: "Ahvaza eſt Karah (ſeu nomus) inter alios Chureſtanicos. Appellatur quoque Hormoz Schar ſeu vrbs Hormozi aut Hormisdae; eſt quidem inter Chureſtanae nomos maximus". Ahvazam alias سوق اهواز forum Ahvazae vocant; antiquitus Perſis dictam هرمز شهر ſeu, vt alii هرمزد شهر i. e. diospolin. v. Golii not. ad Alfragan. p. 118.

verat. Moezeddaula igitur, a fratre iam antecedente anno, autore Elmacino *a*), contra Ahvazam missus, hoc anno ea potitus est. Ahvazam autem, vt ait Elmacin, a Raiekide munitam, Bahcam, dum Emiro al Omrah annuum tributum triginta octo denariorum soluebat, rexit. Eodem autore Bahcam, amissa Ahvaza, Vasetam migrasse dicitur. Sed Basra, cum Baridicus a tam forti atque potente principe defenderetur, in eius potestate mansit, inuito tamen Raiekide, qui hostili animo Bagdadi vires collegit. At res gravioris momenti, quae in vrbe ipsa eius dignitatem suspensam atque periculosam reddebat, a nouo bello contra Baridicum eum retinuit. Haec res erat Ebn Moclae, Veziri Chalifae celeberrimi *b*), perfidia.

§. 5.

Eodem anno, pergit noster, *manus Abi-Alio, Moclae filio, decisa est. Causa huius poenae erat, quod, Raiekide comprehenso, Bahcamum in eius locum substituendi, consilium ceperat.*

Elmacin *c*) accuratius tradit, Ebn Moclam per litteras Radium consilii illius de amouendo Raiekide et substituendo Bahcamo capti certiorem fecisse. Tum autem, repudiato a Chalifa consilio, convocatos vrbis iudices, Ebn Moclae, ne detrimentum caperet respublica, manum esse decidendam, tulisse sententiam. Accuratissime denique hanc rem narrat Abulfaragius *d*), qui plura Elmacini enarrationi adiecit. Eo enim autore Ebn Mocla Chalifae, se, si amoueret Raiekidem, apud eum immensam pecuniae summam inventurum esse, spopondit. Simul a Radio, vt, ipsius domo relicta, vna cum eo in Chalifarum palatio habitaret, veniam petiit. Sed cum, venia impetrata, Chalifae palatium intraret, statim comprehensus in carcerem coniiciebatur. Tum, epistola Ebn Moclae cum Raiekide communicata, Emir al Omrah Radio gratias egit, nec eum precibus obruere desiit, donec Ebn Moclae, e carcere educto, manum decidi iuberet. Abulfeda de hac manus amputatione refert:

---

a) Elmac. hist. sarac. p. 204.

b) Ebn Mocla, (ابن مقلة) celeberrimus Corani scripturae inuentor, (Elmac. p. 205) poeta quoque et homo doctus laudatur (Elmac. l. c.)

c) Elmac. p. 205.

d) Abulfarag. hist. dyn. p. 303.

Radius in gratiam Raiekidis, qui Ebn Moclae consilium acceperat, eum in vincula dari iussit. Tum multae litterae inter Radium et Raiekidem de Ebn-Mocla vltro citroque datae erant, donec tandem res eo perveniret, vt ei, e carcere emisso, medio Schuali mense manus abscinderetur. Nihilominus tamen, vulnere mox sanato, denuo Veziratum affectabat, dum trunco decisae manus calamum ligans scribebat. Sed cum eius conatus, recipiendi Veziratum, ad Raiekidem perueniret, perfido lingua excisa, in arctiora vincula eum duci iubebat.

Ebn Moclam denuo, Veziratum sibi comparandi, tentasse, haud refert Elmacin. Sed Abulfaragius idem, quod Abulfeda, narrat, dum praecipuam durioris poenae Ebn Moclae inflictae causam, quod iste minas in Raiekidem iactasset, addit. Caeterum omnes scriptores, illum in carcere miserrime vitam exhalasse, referunt.

At nunc quoque enarrationis, quam discrepantem ab ea aliorum scriptorum, ediderunt Herbelot *e)* et Marigny *f)* ratio habenda est. Iis enim autoribus Ebn Mocla quoque litteras, vt Bahcam in Raiekidis locum substituatur, scribit, sed scriptas non ad Chalifam, sed eius nomine ad Bahcamum dat. Litteras autem interceptas Raiekides cum Radio, stupore percusso, communicat, qui, vt poenas tam inauditae perfidiae atque ipsius, Chalifae, nomine abutendi, impudentiae de Ebn Mocla capiat, statim alteram manum ei quoque desecari iubet. Nam imperante Cahero billah, qui Radium ante-

---

e) Herbelot. bibl. orient. T. I, p. 632. "Ebn Moclah, qui avoit l'esprit brouillon, voulut faire des affaires à son nouveau maitre. Il écrivit pour cet effet, comme de la part du Khalife à Jacem, le Turc, pour le faire venir à Bagdad, luy promettant le Commandement en chef de toutes les Troupes du Khalifat. Ebn Raiek qui pour lors en avoit le Commandement, ayant intercepté la lettre d'Ebn Moclah, la fit voir au Khalife; et ce prince, qui n'avoit point donné d'ordre à son Vezir de l'écrire et qui ne desiroit pas même la venue de Jakem, fit venir Ebn Moclah en sa présence et luy demanda pourquoy il avoit écrit cette lettre à son insçu. Le Vizir nia d'abord la chose; mais il fut convaincu par sa propre Lettre qui lui fut représentée, et le Khalife qui ne put souffrir cette infidélité, le condanna d'avoir son autre main coupée, et quelque temps après la langue. Cette punition arriva à Ebn Moclah l'an 326 de l'Hegire, et il traina depuis ce temps une vie misérable et languissante jusqu'en l'an 338 qu'il mourut. Khondemir, Ben Schonah, Nighiaristan."

f) Marigny l'histoire des Arabes T. IV. p. 8.

cesserat, iam altera manus, vt testantur illi autores, Ebn Moclae detruncata fuerat.

Sed Raiekides, ab homine, honori periculoso, liberatus, nunc cum multo periculosiore atque potentiore, Bahcamo illo ipso, negotia habet. Is enim reuera Emiri al Omrah munus Bagdadi affectauit. Reuertamur igitur ad Abulfedam:

§. 6.

Bahcam in Raiekidis locum substituitur Emir al Omrah.

Eodem anno, noua luna mensis Caadae, Bahcam g), ab vrbe Vaseta Bagdadum profectus, exercitum, quem contra eum miserat Raiekides, fudit fugauitque. Cum victor Bagdado appropinquaret, Raiekides Ocbaram h), vbi se reconderet, fugiebat. Elmacino autore *i*) Bagdadi delituerat.

Bahcamo autem, qui decimo h. m. die vrbem intrabat, Chalifa, dum veste augustiore eum ornabat, nomen Emiri al Omrah i. e. Emiri Emirorum dedit. Raiekidis summum imperium per vnum annum, decem menses et sexdecim dies durauerat.

Accuratissime Elmacin in determinando Raiekidis imperii tempore cum nostro conuenit.

§. 7.

De Baheami origine et fatis haec refert Abulfeda:

Bahcam seruus Veziri Macani k), filii Calii, Dailomitae fuit. Tum Macan eum a Veziri sui familia in suam adscisebat. Postquam au-

---

g) بحكم ab omnibus aliis scriptoribus pronunciatur: بجكم

h) "Ocbara erat oppidulum ad Tigridem supra Bagdadum decem parasangis." v. Abulfed. geogr. p. 258.

i) Elmac. hist. Sarac. p. 206.

k) Elmacin p. 191 ad annum 318 quendam Macanum, (مهكان) filium Malii, (بن مالي) cui cum Mardavidscho, (مرداويج) Dailomitarum rege, inimicitiae intercessissent, commemorat. Cum ماكان (vt Abulfeda nomen scribit) بن مهكان, et بن مالي قالي simile sit, hunc Macanum eundem Bahcami herum fuisse, coniicio. — Eodem Elmacini loco inuenies quoque nonnulla de Dailomitis eorumque regibus. Primus eos regnabat Vaschudan, (وهشودان) filius Marzabani, (بن المرزبان)

tem ad herum ſuum interficiendum manus porrexerat, Iracam profectus, ibi cum Raiekidis familia tam arcte, vt vexillis illius nomen inſcribi iuberet, ſeſe coniunxit. A Raiekide Ahuazam miſſus, ea expugnata, Baridicum expulit. Poſtea autem, cum filius Buiae Ahvaza potitus fuiſſet, Bahcam Vaſetam inuadebat; a qua vrbe Bagdadum conuerſus, Raiekide expulſo atque vrbe capta, ipſius Chaliſae maieſtatem obnoxiam ſibi reddidit.

§. 8.

Anno 327 Bahcam et Radi contra Mauſelam l) exercitum ducebant, quo facto Naſer-eddaula, Hamdani filius, in fugam ſe coniiciebat. Attamen tributo penſo pax firma facta eſt; qua facta Bahcam cum Chalifa rediit.

Elmacin *m*) accuratius enarrat, Bahcamum Naſereddaulam vsque ad Niſibinam *n*) (نصيبي), inde autem vsque ad Amidam (امد) *o*)

---

qui ſedem Schaharſatanae (شهر ستان) habebat. Mardavidſchus eorum, qui illi ſuccedebant, multis, quas expugnauerat, terris, fuit celeberrimus. Redegerat enim in poteſtatem ſuam Raiam, Cazvinam, Abharam, Dſchardſchanam et Tabariſtanam. Tum quoque Hamadana potitus, eius incolas crudelitate vexauit. Quin immo magnum exercitum, a Chalifa Mectadero billah, vt ipſius in dies creſcentem poteſtatem cohiberet, contra ſe miſſum, inter Hamadanam et Cazvinam fudit fugauitque (a. 319). Tandem quoque Isfahan eius ditioni ſubiecta eſt. cf. quoque Abulfed. Tom. II. pag. 362.

l) Mauſela (الموصل) metropolis illius, vt ita dicam, inſulae, quae Euphrate et Tigride circumfluitur atque ab Arabibus بلاد الجزيرة a Graecis et Latinis Meſopotamia appellatur. Vrbs fuit magna, in occidentali Tigridis ripa exſtructa. (cf. Abulfed. geogr. p. 247 et Golii notas in Alfergan. p. 232 ſeqq.). Nunc erat illa vrbs in Naſereddaulae poteſtate, qui quoque, vt eius frater in Meſopotamia regnans, Chalifae tributum ſuperbo animo recuſabat. (cf. Abulfed. annal. p. 398 et Elmac. hiſt. Sarac. p. 203).

m) Elmac. hiſt. Saracen. p. 206.

n) vrbs capitalis eius Meſopotamiae partis, quae Diar Rabia (ديار ربيعة) vocatur. Meſopotamia enim, vt notum eſt, in quatur partes: Dair Becrum (ديار بكر), Diar Modzarum (ديار مضر), Diar Rabiam (ديار ربيعة) et Diar Al-Dſcheſiram (ديار الجزيرة) diuidi ſolet. —

o) Amid (امد) vrbs quoque antiqua in Diar Becro ad Tigridis occidentalem ripam ſita eſt. (cf. Abulfed. geogr. p. 249). Poſtea a Caeſare Conſtantio munita eſt. cf. chron. Edeſſen. apud Aſſemannum T. I. p. 26

fugaſſe, et Radium interea Mauſelam occupaſſe; ſimulque cauſam adiecit, cur Bahcam, licet ſecundae belli fortunae compos, tam propere cum Naſereddaula pacem compoſuerit. Nam nullo modo, vt pecuniae ſumma contenti, hoſtes in terris, a ſe captis, vt in ſuis, imperium exercere patirentur, Emir al Omrah et Chalifa expeditionem illam ſusceperant. Sed eos ipſos Bagdadi adeſſe, neceſſe fuit. Raiekides enim, dum Bahcam aberat, Bagdadi in lucem prodiens omnes ciues terrore impleuerat. Pergit igitur noſter:

Raiekides, manu contracta, Bagdadum, vt eam, priusquam Chalifa reuerteretur, in poteſtatem ſuam redigeret, aduolauerat. Profecto quoque Chaliſae Bahcamoque tantum terrorem iniecit, vt pax, ex cuius conditione Raiekides Harranae (حرّان) p), Rohae (رها) q) Canſerinae (قنسرين) r) et terrae, quae appellabatur Avaſem s) (عواصم), praeficeretur, fieret. Tum Raiekides illis locis, ei addictis, potitus eſt.

ܗܕܐ ܒܝܘܡܝܗ ܒܢܐ ܩܣܛܢܛܝܢܘܣ ܒܪ ܩܣܛܢܛܝܢܘܣ ܠܐܡܝܕܐ ܡܕܝܢܬܐ

h. e. a. 660 muniuit (ܒܢܐ eſt enim non ſolum: "aedificare," ſed etiam: "munire, reſtaurare") Conſtantius, Conſtantini filius, Amidam vrbem."

p) حرّان (Teſchdido enim ſcribendum eſt) Syris ܚܪܢ, Hebraeis חָרָן, Romanis Carrhae, vrbs Meſopotamiae, cuius Abrahami tempore iam mentio fit (v. Geneſ. 11, 31). Poſtea clade Craſſo ibi illata magnam accepit famam apud Graecos et Romanos ſcriptores (v. Aſſem. bibl. Orient. T. II. ſub voce Haran). De vrbis nominis origine v. Golium in Alfergan. p. 250 et 251.

q) Roha vrbs eadem, quae quoque Edeſſa vel Calirrhoe appellatur, vnde per aphaereſin nomen الرها factum eſſe videtur. (v. Golium in notis ad Alfergan. p. 244).

r) vrbs antiqua Syriae. V. Gol. p. 276.

s) Avaſem nomen eiusdem ditionis, quae antea Tſogur appellabatur. Tſogur (ثغور) autem ex verbi ſignificatione ثغر (caſtellum, propugnaculum) comprehendebat omnia praeſidia in finibus, et praeſertim Romanorum, vnde ثغور terra Romanis igiturque Syriae et Ciliciae finitima appellabatur. Primum Meſopotamiae erat, ſed poſtea (a. 152) a quinto Abbaſidarum Chalifa, Raſchido (رشيد), in peculiarem prouinciam mutabatur, ex quo tempore nomen *Avaſem* obtinebat.

Elmacin *t*) pro Harrana et Roha Euphratis viam (طريق الفرات) i. e. ditiones illi fluuio adiacentes appellat. Marigny *u*), qui Herbelotum fecutus eft, aliarum prouinciarum, Basrae, Cufae et Iracae mentionem fecit.

Sed Raiekides, haud immemor muneris illius grauiffimi, quo olim Bagdadi functus fuerat, nunc, receptis prouinciis vix poteftatem aliquam nactus, ftatim ambitiofa, quae olim ceperat, confilia perficere tentauit. Ante omnia denuo in augufta vrbe Chalifam ipfum ex fuo arbitrio ducere voluiffet, nifi tanti voti tam ob Bahcami fortitudinem, quam ob eiusdem gratiam, in qua cum Chalifa populoque erat, fe impotentem fore, fciuiffet. Quanta autem effet Bahcami gratia, quae ei intercedebat cum Chalifa et populo, tum, cum, illo abfente, de integro rebus Bagdadi potiri conaretur, expertus fuerat. Nam, a populo Bahcamo praelatus, facile voti compos factus fuiffet. Sed ignominiofa, quam cum Abu-Tahero, nec minime honeftiore, quam cum Baridico fecerat, pace, fortaffe quoque nimis dura atque feuera poena Ebn Moclae inflicta populi inuidiam fibi conflauerat, dum Bahcam, Baridico victo, populo, et propofito, quod ftatim ab initio imperii in bello Nafereddaulae inferendo oftenderat, Chalifae auctoritatem (fi quidem videbatur tantum) amplificandi, Radio carus fuerat. Itaque Raiekides, plane ab vrbe Bagdado exclufus, in Aegyptum, vt ibi forte nouum imperium fibi fundaret, conuerfus eft. De illo conatu enarrat Abulfeda:

§. 9.

Anno 328 Raiekides, Syria potitus, Damafco (دمشق) *et Emeffa* (حمص) *v) expugnata, Badramum, Achfchidi praefectum, expulit.*

حواصم enim a. r. عصم *feruauit immunem, defendit*, fignificat: *defendentes* fcil. vrbes, quod nomen igitur indicabat, loca illa firma nunc a Romanis in terram irrumpentibus defendentia effe. (Abulfed. Annal. Moslem. T. II. p. 60.)

t) Elmacin. hift. Sarac. p. 206.

u) Marigny l'hiftoire des Arabes Tom. IV. p. 15.

v) v. Abulfedae Syriam edit. Koehleri p. 104.

Tum, ceſtris motis, vsque ad Ariſchum (عريش) *x) progrediebatur: Aegyptiae enim terrae inhiabat.*

Elmacino auctore Raiekides agmen paulo alia via, ita vt primum Emeſſam, deinde Damascum, inde autem Ramlam et denique Ariſchum veniret, duxit.

Sed nunc, pergit noſter, *Achſchid contra eum mouebat, et acri praelio commiſſo, Raiekides vsque ad Damascum repulſus eſt.*

Elmacin *y*) eo loco accuratius, quam Abulfeda, enarrans, rem optime illuſtrat. In proelio, (ita enarrat ille ſcriptor) quod medio Ramadano die Mercurii committebatur, primum Açhſchid ſalutem in fuga quaerere coactus eſt. Deinde autem Raiekides, cum eius exercitus cupidius praedam facere occupatus eſſet, ab Achſchidi militibus, in latebrts abſconditis *z*), oppreſſus, multis perditis, ſeptuaginta tantum eum comitantibus viris, Damascum fuga petere coactus eſt. Pergit noſter:

Tum Achſchid exercitum, qui Raiekidem perſequeretur, miſit. Sed exercitus proelio, in quo Achſchidi frater caedebatur, victus eſt. Raiekides igitur ad Achſchidum, vt eum de fratris, qui haud data opera occiſus ſuiſſet, nece conſolaretur, legatum ſimulque cum eo ipſius filium Mozahemum, ſi forte ab eo fratris caedem vlcisci vellet, admiſit. Sed Achſchid tantum abſuit, vt Mozahemum interficeret, vt eum potius, pretioſis ornatum veſtimentis patri remitteret. Itaque Aegypti Achſchido, Syriae autem poſſeſſio Raiekidi firmata eſt.

Illius mutuae vtriusque hoſtis animi magnitudinis, qua, vt videtur, pactio illa efficiebatur, exempli non mentionem fecit Elmacin. De proelio autem infauſtis Achſchido auſpiciis ad Ladſchunam (باللجون) vndecimo menſe facto, Abu Nasrum, (ابي نصر) Achſchidi fratrem, maxima exercitus parte confecta, ſu-

---

x) Aegypti oppidum, quod quoque appellabatur Lariſſa.

y) Elmacin. hiſt. Sarac. p. 206.

z) كمين الاخشيد vertit Erpenius: "cumque milites (vt totum locum deſcribam) iam toti eſſent in direptione, prodiit ex inſidiis *quidam* militum eius, eosque de improuiſo adorſus eſt, et in fugam vertit, non paucis interfectis." Alter Simſon ille fuiſſet! كمين eſt inſidiae, i. e. plures homines in latibulo abſconditi.

peratum fuiſſe, perhibet. Quod autem ad pacis, poſt illud proelium compoſitae, conditiones attinet, alias, quam Abulfeda, refert *a*). Eo enim teſtante in Raiekidis poteſtate non tota Syria manſit, ſed ille Ramlam Achſchido, qui, vt centum et quadraginta millia denariorum in ſingulum annum ei penderet, promittebat, tradere coactus eſt.

Inſequens annus 329 nos Bagdadum reducit. Eo enim anno Chalifa eiusque Emir al Omrah, aut potius Emir al Omrah eiusque Chalifa e vita deceſſere. De Chalifae morte, quae obitum Bahcami antecedebat, haec refert noſter:

§. 10.

Radii Chalifae mors.

Anno 329 medio menſe tertio Chalifa Radi, poſtquam ſex annos et decem dies regnauerat, triginta et duo annos natus ex hydrope mortuus eſt.

In Chalifae vitae ſpatio ſcriptores concordes, in imperii tempore determinando discordes ſunt. Abulfeda enim, illum ſex annos et decem dies, Abulfaragius *b*) ſex annos et decem menſes, Elmacin *c*) denique ſex annos, decem menſes et decem dies regnaſſe, refert. Quod attinet ad eius mores et ingenium, omnes ſcriptores vno ore eum laudant. Abulfeda et Elmacin, haud malum poetam eum fuiſſe tradunt, ſimulque quaedam eius carmina memoriae prodiderunt. Iidemque ſcriptores, illum vltimum, cui certe aliquid libertatis reliquiſſet Emir al Omrah, fuiſſe Chalifam, addunt.

§. 11.

Poſt Radii mortem noui Chalifae creatio in Bahcami ſcribae Abu Abdallae Cuſenſis a Vaſeta aduentum reiecta fuit. Bahcam enim tum temporis, dum Chalifae palatium militibus circumdari iuſſerat d), Va-

---

a) Elmac. hiſt. Sarac. p. 207.

b) Abulfarag. hiſt. dynaſt. p. 303.

c) Elmac. hiſt. Sarac. p. 202. cf. c. Deguignes T. I. p. 329.

d) Proficiſcenti enim Vaſetam propinqua eſſe videbatur Chalifae mors. Vt igitur mortui diuitiarum certus eſſet, (iam enim, vt eas raperet, in animo habebat) ad palatium aditum prohibuit.

ſetae verſatus eſt. Tandem Abu Abdalla cum Bahcami litteris, in quibus, vt apud Abul Caſemum Solimanum et omnes, aliquando Vezieri munere functi, et tribunalibus adſcripti, et Alidae, et Cadii, ſeu iudices, et Abbaſidae et cuſtodes vrbis congregati Chalifam a Cufenſi ſcriba iis oblatum e) crearent, imperabat, aduenit. Conuocati igitur vno ore Ibrahimum, filium Moctaderi billah, Abul-Faslam Dſchaafarum f) creabant eique die vigeſimo menſis tertii ſacramenta dicebant, dum eum cognomine Mattakii billah i. e. deum reuerentis, quod ex pluribus ſibi propoſitis elegerat, ornabant.

Abulfaragius g), qui quoque Chalifae creationem Bahcami iuſſu accurate refert, Emirum al Omrah, forte Cufae verſatum, inde per ſcribam rem rexiſſe, tradit. Sed cum Bahcamum iam, priusquam Bagdadum intraſſet, (a. 326) Vaſetae fuiſſe, nouimus *h)*, veriſimilins, quod ſcripſit Abulfeda, mihi videtur. Abulfaragium potius Cufenſem ſcribam cum Cufenſi vrbe per errorem mutaſſe, puto. Praeterea Bahcam, ſi Abulfaragium ſequimur, vno eodemque tempore diuerſis locis fuiſſet. Primum enim ſcribit: لما مات الراضي كان يحكوم بالكوفة i. e. *cum mortuus eſſet Radi, erat Iahaeam Cufae;* non ita multo poſt autem, cum Mottaki Chalifa confirmaretur, idem ſcriptor: وسير الخلع واللوا الي بحكم الي واسط i. e. *miſit trabeam atque vexillum Bahcamo Vaſetam.* Hinc Abulfaragius h. l. vel reuera errauit, vel Bahcam, Radii mortis tempore Cufae verſatus, creato Chalifa Mottakio lillah Vaſetam ſeſe contulerat. Tum certe narrandi ratio vituperanda eſt. Pergit Abulfeda:

Poſtquam inauguratus erat Chalifa, Bahcamo, adhuc Vaſetae commoranti trabeam et vexillum mittebat. Bahcam, priusquam Chalifa crea-

---

e) verba Abulfedae: وبشاورهم الكوفي فيمن ينصب الخلافة quae vi quadam a noſtro adiecta ſunt, omiſit Reiskius in verſione.

f) Elmacin p. 209 appellat eum Abu Ishacum Ibrahimum (ابو اسحق ابرهيم). Male quoque ei cognomen "Moctafi billah (المقتفي بالا) indit, vt etiam Herbelotus T. III. p. 204.

g) Abulfarag. hiſt. dynaſt. p. 304.

h) iam prius Bahcamum Vaſetae fuiſſe, Abulfeda hoc loce per: ايضا quod verbum Reiskius neglexit, indicauit.

retur, ex eius palatio aulaea, et quidquid ipsius oculos mulcebut, auferri iusserat. Salamam Tulunicum Mattakii cubicularium fecit et Solaimano, Hasani filio, Radii Veziro, honorem suum confirmauit. Sed ei nil nisi nomen vanum et inane restabat. Munus enim ipsum penes illum Cusensem, Bahcami scribam, fuit.

§. 12.

Sed Bahcam haud diu, vix creato imperatori imperandi, potestate gauisus est. Omnes enim scriptores eodem anno eius mortem referunt. De mortis tamen ratione discordes sunt. Narrat primum Abulfeda:

Exercitu contra Ali Abdallam Baridicum praemisso, ipse, Vaseta relicta, secutus est. Cum autem in via nuncius, exercitum suum, victoria de hoste reportata, Baridicum ipsum in fussam coniecisse, ad eum allatus fuisset, Vasetam redibat. Rediens autem venabatur, donec ad fluuium, cui nomen fuit Chur, (جور) adueniebat. Cum iuxta illum fluuium diuites copiososque Churdos i) sedes habere certior factus fuisset, parua manu, illorum diuitiis inhians, eos adortus est. Mox fusi fugatique fuere. Sed puerilis fere aetatis quidam Churdorum, qui Bahcamum circumdabant, eum ignorans per medium corpus lancea transfixit. Bahcam animam exhalauit.

Bahcamum venantem a Churdis esse interfectum, omnes tradunt scriptores. Elmacin *k*) tamen aliam causam, quae illum in Chardorum manus coniecerat, refert. Expeditionis enim contra Baridicum, qua finita Bahcam ex Abulfeda aliisque scriptoribus a Churdis occidebatur, haud mentionem habens, illum potius, aliquamdiu *l*) venantem, cum Churdos *m*) qui, pretiosis opibus

---

i) "Les Kurdes sont des peuples féroces qui demeuroient dans les montagnes voisines de l'Arménie et de la Medie. Leur pays porte le nom de Kurdistan. Ils sont Nomades, et naturellement portés au brigaudage. Pendant que l'empire des Khalifes a subsisté, ils y ont fait souvent de grandes incursions, et se sont emparés des villes les plus voisines de leur pays; mais comme ils n'étoient que voleurs, ils ont rarement fait des établissements solides. Chaque chef regnoit, ou plutôt étoit à la tête de sa troupe." Degnignes T. I. N. I. p. 416.

k) Elmac. hist. Sarac. p. 209.

l) die vigerimo et quarto tertii mensis.

m) Erpenius haud male Scythas eos appellat.

onerati, in via profecti fuiſſent, cupidine eorum diuitiarum abreptus, adoriretur, ſublatum fuiſſe, perhibet. Abulfaragius *n*) pauciſſimis verbis: *Bahcam, dum venabatur, a Churdis interfectus eſt* tradit. *El-Mazin rapporte autrement la mort de Iahkem* ait Marigny *o*), dum profecto de illius mortis cauſa enarrationem, quae apud nullum alium ſcriptorem occurrit, memoriae prodidit. Illa igitur enarratio, nullius alii ſcriptoris teſtimonio confirmata, quanquam Bahcami rebus conſentanea eſt, reiicienda mihi videtur. Ex quibus fontibus eam hauſerit, neſcio. Certe Herbelotus, quem alias fere ſemper ſequi ſolet, ab illa enarratione declinat. Relationem enim de nece Bahcamo per Chalifam aut Churdum quendam illata conciliare ſtudet *p*).

---

n) Abulfarag. hiſt. dynaſt. p. 304.

o) Marigny l'hiſtoire des Arabes T. IV. p. 16. "Cette attention à l'égard de Jahkem ne fut de la part du Chalife qu'un piège que ce Prince lui tendoit, afin qu'il ne ſe méfiât pas du malheureux ſort dont il étoit menacé! Cet Emir fut aſſaſſiné peu après, et l'on pretend que ce fut par ordre du Chalife. Le haut degré de puiſſance où il étoit parvenu le rendoit inſupportable. Il régloit tout à ſon gré, et s'étoit tellement rendu maitre des affaires, que les Miniſtres de l'Etat n'avoient plus de fonction. Il décidoit tout par lui même, et les expeditions qui auroient du moins du paſſer par les mains du Viſir, étoient ſcellees par ſon Sécretaire. Mais ce qui avoit contribué le plus alors à le faire haïr du Chalife, c'étoit la conduite, qu'il avoit tenue à l'inſtant de la mort de Rhadi. Il avoit envoyé ſes gens à Bagded, et avoit fait enlever d'autorité tous les meubles du Palais Impérial, et tous les chévaux qui étoient dans les écuries de ſon Chalife. C'etoit apparement un nouveau droit qu'il vouloit joindre à ceux, dont il jouiſſoit deja en vertu de ſa charge; et en effet, Jahkem fut aſſaſſiné quelque tems après ſon arrivée à Bagded."

p) Herbelot Tom. II. p. 723, vbi dicit ſub voce Motaki: Jahkem le Turc gouvernoit alors ſi abſolument le Khalifat, que ſon Kateb, ou Sécretaire faiſoit toutes les expeditions des affaires, en la place du Vizir qui n'avoit aucune autorité dans l'Etat. Ce Turc, qui ſe trouvoit dans la ville de Coufah lorsque Motaki fut élevé au Khalifat, envoya ſes gens à Bagded pour enlever tous les meubles du Palais et tous les chevaux des écuries du feu Khalife Radhi, action qui piqua ſi fort Motaki, que l'on crût aiſement qu'il avoit ſuborné un Curde qui tua peu de temps après Jahkem." At Herbelotus h. l. ſibimet ipſi repugnare videtur. Ex iis enim, quae, ab illo narrata, nunc cognovimus, nil minus, quam Mottakium autore Bahcamo creatum fuiſſe, apparet. Sed Tom. III. p. 104 ſub titulo Radhi hoc ille adſerit. Simul quoque ea, quae ſupra de Chalifae nomine ipſe dixit, cum

Hanc necis rationem, ab Herbeloto enarratam, rebus Bahcami cum Chalifa ſtantibus maxime reſpondere, haud infitias ire poſſum. Mottaki enim, ſe Emiri al Omrah gratia Chalifam factum, eiusdem voluntati et ludibrio plane ſubiectum futurum eſſe, perſuaſum ſibi habuit. Huic perſuaſioni poſtea quoque ira de Emiri al Omrah inſolentia, qua ſtatim ab imperii initio Chalifae palatium praedatus fuerat, acceſſit. Nam ex factis in futura concludere ei licitum erat. Itaque, cum ab Emiro al Omrah, qui fortaſſe mox ex commodo ſuo a loco, in quo eum poſuiſſet, detruderet, ſe liberari in votis haberet, e medio illum tollendum curauit. Quae nunc enarrat Abulfeda, illi mortis Bahcami rationi, ab Herbeloto relatae, maiorem dat veriſimilitudinem. Pergit enim noſter:

Mottaki, de Bahcami morte certior factus, ſtatim, eius palatio occupato, immenſas diuitias, quarum maxima pars in terra occulta erat, abripiebat. Baridicus nunc, omni fere libertatis ſpe deiectus, Bahcamo remoto, eam nactus eſt. Bahcami Emiratus per duos annos, octo menſes et aliquot dies durauerat q).

Chalifa, nunc a tyranno liberatus, Emirorum al Omrah potestatem abrogare voluerit. Quae nobis coniicere licet, facta fuiſſe contendit Marigny. Sed tam illa, quam ea narratio, Turcas ex ipſorum gente quendam Emirum al Omrah poſtulaſſe, ne vllo quidem ſcriptore probatur. Vnde accepit Marigny eiusmodi res?

§. 13.

Baridicus per aliquot dies Emir al Omrah.

Bahcamo occiſo, Baridicus, Bagdadum profectus, ſummo imperio per aliquot dies potitus eſt. Sed mox ob morum inſolentiam a populo expulſus eſt.

---

hoc loco male congruunt. Altero loco appellat eum Moctafium billah, altero autem Motakium Lillah. Dicit l. c. "il eſt nommé dans l'Hiſtoire Saracenique Moctafi billah contre l'autorité de tous les autres Hiſtoriens, tels que Khondemir, Ben Schona, Leb Tarikh, Aboul Farage et autres qui lui donnent tous le nom de Motaki." Deguignes nominat eum rectius *Mottakium*.

q) Elmacin p. 210 accuratius "nouem dies" et Deguignes T. I. P. I. p. 333 "nouemdecim dies".

Elmacin, Baridicum Bagdadum honoremque Emirorum al Omrah occupaſſe, haud refert. Sed Abulfaragius *r*) fuſe de ea re ſcripſit. Poſt enim Bahcami mortem (ita enarrat Abulfaragius) Baridicus Bagdadum intrans in loco, cui nomen Schakii (شقبي) fuit, caſtra poſuit. Ibi vrbis proceres de ipſius ſalute gratulationem ſimulque victum in plures dies, iubente Chalifa, ei attulere. Tum Baridicus, miſſis ad Chalifam legatis, vt ſibi quingenties millia denariorum daret, ab eo petiit. Pecuniam ſcilicet militibus ſuis largiturum eſſe, contendebat. Sed repulſam tulit. Cum tamen de integro ad Mottakium legato miſſo minantibus verbis, quid Moatus, et Moſtain, et Mohtadi experti fuiſſent, in illius memoriam reuocaret, tandem ſummam pecuniae poſtulatam accipiebat. Per totum illud tempus, quo Baridicus Bagdadi verſabatur, cum Chalifa non conuenit. Cum autem ſummam acceptam militibus non diuideret, ſeditione in eum concitata, ipſe vna cum fratre et filio et ſociis in fugam coniectus aqua Vaſetam deſcendebat *s*).

§ 14.

Curtekin per breue tempus Emir al Omrah.

Tum, pergit Abulfeda, *Curtekin* (كورتكين) *breui tempore Emir al Omrah fuit.*

Elmacin *t*) appellat eius nomen Cutekin (كوتكين) eumque ſtatim Bahcamo ſucceſſiſſe, ait. Abulfaragius *u*), eum Dailomitam fuiſſe, refert. Nunc illius breuis imperii cauſam noſter addit *v*).

Raiekides enim a Syria Bagdadum (Syriae procuratorem Abul Haſanum Ahmedem, Alii filium, filii Mocateli reliquerat) reuerſus, proelio cum Curtekino facto, eum fugauit. Curtekin ipſe captus a Raiekide in cuſtodias incluſus eſt.

---

r) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 304.

s) In Tigride enim nauigabant ab vrbe Bagdado vsque ad Vaſeſam, quae vrbs, vt ſupra diximus, illo flumine dimidiata fuit.

t) Elmacin. hiſt. Sarac. p. 210.

u) Abulfarag hiſt. dyn. p. 305.

v) Deguignes p. 333 Curtekinum Emirorum al Omrah ordini adnumerauit "il ne reſta en place que 80 jours. Il fut depoſe et tué dans le mois Mouharram 330"; ſerius igitur, quam ex Abulfeda caeterisque ſcriptoribus.

Elmacino autore Chalifa Raiekidem per litteras e Syria advocauerat.

§. 15.

Raiekides denuo Bagdadi Emir al Omrah.

Mottaki, pergit noſter, *Raiekidem Emirum al Omrah Bagdadi fecit.* Sed haud diu ille honore gauiſus eſt. Fortuna enim ſtatim poſt inceptum imperium eius infinitae regnandi cupiditati finem impoſuit.

Anno 330 Ebn Baridicus, rerum Bagdadi potitus, Raiekidem interfecit. Raiekides enim cum Chaliſa Mauſelam fugerat. Baridicus ſaeuiens inaudita iniuſtitia, violentia et crudelitate Bagdadum praedatus eſt. Poſtquam Raiekides et Mottaki vsque ad Tacritam venerant, ad Naſereddaulam litteras, in quibus eius auxilium implorabant, dedere. Quo facto propius Mauſelam accedebant. Naſereddaula ex altera vrbis parte excedebat x). Mottaki ſuum filium, Abu Manſurem, vna cum Raiekide ad Naſereddaulam, qui eos non ſulum magno honore excipiebat, verum etiam Chaliſae filio denarios ſuperfundebat, miſit. Cum autem abire pararent, Naſereddaula ſatellites Raiekidem interficere iuſſit. Interfecto Raiekide, Naſereddaula ad Mottakium, qui eum, trabea ornatum, Emirum al Omrah declarabat y), ſeſe contulit.

Rem aliter enarrat Elmacin *z*). Chalifae ſcilicet vna cum Raiekide et Abul Haſano, filio Alii, filii Moclae, fugienti Seifeddaulam Abul Haſanum Alium, Abdallae filium, Hamdani nepotem occurriſſe eosque Mauſelam ductos bene tractaſſe, auroque atque iumentis donaſſe. Optime autem eum Hamdanidarum, cui nomen Abu Mohammed al Haſan fuerit, Chalifae ſeruiiſſe, qua de cauſa ab eo titulum Naſereddaulae accepiſſe. Quod autem attinet ad legationem illam, quae Raiekidis mortis cauſa exſtiterit, eam non commemorant Abulfaragius et Elmacin. Eo enim autore *a*), poſtea demum, recepta Bagdado, Raiekides a Naſereddaula interficiebatur; qui quidem de eius nece apud Chalifam eo, quod, illum ei

---

x) Reiskius adiecit in verſione; "cis Tigridem commigrans."

y) fiebat calendis octaui menſis h. a.

z) Elmac. hiſt. Sarac. p. 210.

a) Elmac. hiſt. Sarac. p. 211.

infidelem nec amplius addictum futurum esse, acceperit, sese excusauit.

Ipsius fratrem quoque, pergit Abulfeda, *Abul Hasanum Alium, trabea ornatum, cognomine Seifeddaulae* (سيف الدولة) *donauit. Rockides vigesimo quarto mensis Radschabae i. e. septimi mensis h. a. interfectus est.*

Abulfedae narrationem h. l. non bene cohaerentem Reiskius vertendo emendare studuit. Incommode ille pergit:

Achschid, Aegypti princeps, cum Raiekidis caedem accepisset, Damascum reuersus, ea potitus est b).

§. 26.

Nasereddaula Emir al Omrah.

Tum Mottaki et Nasereddaula Bagdadum profecti sunt. Baridicus igitur vrbe excedebat, quo facto ciues rapinis sese inuicem vexabant. Commoratus fuerat Baridicus Bagdadi per tres menses et viginti dies. Mense Schualo Mottaki, comitantibus eum Hamdanidis, magno circumdatus exercitu, vrbem augustam intrauit.

Elmacin *c)*, Nasereddaulae fratrem, Abul Hasanum Alium, solum Baridicos (plures enim huius nominis appellat) Bagdado expulisse, tradit. Cum deinde illi, pergit Elmacin, magnum exercitum contraxissent, proelio cum Abul Hasano commisso in turpem fugam conuertebantur. Victor plures ducentis Dailomitis cepit, quos tamen bene tractans ad suum fratrem, Nasereddaulam, misit. Chalifa, vt pro magnis officiis gratias ageret, cognomen Seifeddaulae ei indidit.

Abulfeda ad ea, quae Nasereddaula eo anno gessit, rei nummariae restitutionem adiecit. *Nasereddaula enim, imperio Bagdadi confirmato, denarios restituendos* (i. e. in pristinum pretium reducendos) *curauit. Nam vsque ad hunc diem denarius decem dirhemos effecerat, nunc autem in foro cum tredecim dirhemis mutabatur.*

Cum ab eo inde tempore Hamdanidarum in nostra historia saepe mentio occurrat, de iis pauca praemittere iuuat. Noster de iis ad annum 323 p. 394 haec refert:

---

b) v. nostrum ad ann. 328 p. 408 supra.

c) Elmac. hist. Sarac. l. c.

§. 17.

Hamdan (حمدان) Mauſelae et Deiar Rabiae Emir fuit. Poſt eum filius Abdalla Abul-Haidſcha, indulgente Chalifa Moctafio, regnabat Mauſelam. Bagdadi autem, cum ad defendendum Caherum manus porrigeret, occiſus eſt. Itaque eius filius, Naſereddaula, qui, patre abſente, Mauſelae imperium capeſſerat, id, illo remoto, retinuit. Sed Abul Ola, Naſereddaulae patruus, cum a Chalifa, quae ipſius frater poſſederat, certa pecuniae ſumma conduxiſſet, Mauſelam ſeſe conferebat, vbi tamen a Naſereddaula interficiebatur. Qua de re Chalifa certior factus, copias, Ebn Mocla duce, contra Naſereddaulam miſit. Naſereddaula fugiebat quidem, ſed mox, relicta ab Ebn Mocla Mauſela, reuerſus, poſtquam, per litteras promittens, ſe annuum tributum penſurum eſſe, a Chalifa veniam impetrauerat, de integro tenebat imperium d).

De rebus eodem anno factis nihil amplius refert Abulfeda, quod ad nos pertineat. At Elmacin *e)* rei, quae non rationem tantum, qua Emir al Omrah et Chalifa conuerſabantur, verum etiam ſeditionis, a Dailomitis contra Naſereddaulam inſequente anno conflatae, cauſam indicat, mentionem fecit. Al Manſor enim, Mottakii filius, autore ipſius patre, qui ei magnam dotem dabat, Naſereddaulae filiam in matrimonium duxit. Quo facto Naſereddaula ipſius poteſtatis auctoritatem magis magisque auxit, potentiam vero Chalifae magnis ſumtibus, ipſique et eius matri agros eripiens depreſſit. Quin immo breui tota Chalifae poteſtas ad Emirum al Omrah tranſierat. Sed Turcis illa Naſereddaulae contra Chalifam ſeſe gerendi ratio valde displicuit, ita vt, eorum animis ab eo alienatis, denique vera ſeditio fieret. Pergit igitur Abulfeda:

§. 18.

Anno 331 Naſereddaula Bagdado Mauſelam exceſſit. Dailomitae enim, contra eum tumultuantes, eius palatium expilabant f). In Naſer-

---

d) cf. quoque Herbelot. T. II. p. 192 et Deguignes T. I. P. I. pag. 334.

e) Elmac. hiſt. Sarac. l. ſupra cit.

f) Verba Arabica ſunt haec: فيها (سنة احدي وثلثين وثلثماية) سار ناصر الدولة عن بغداد الي الموصل وثارت الديلم ونهبت داره quae Reiskius ita vertit: "Anno CCCXXXI Bagdado excedebat Mauſelam Naſereddaula

eddaulae fratrem eiusque socios, Vasetae versantes, Turcae quoque surgebant, eumque mense Schaabano noctu opprimebant. Confugit igitur Seifeddaula ad fratrem suum Nasereddaulam et cum eo sese coniunxit.

De tempore, quo reliquit Nasereddaula Bagdadum, dissentiunt scriptores. Abulfeda enim autore anno trecentesimo trigesimo primo, Abulfaragio *g*) iam trecentesimo trigesimo, Elmacino *h*) denique trecentesimo trigesimo secundo demum ille Emir al Omrah vrbe excessit. Deguignes cum Abulfeda consentit *i*). Sed eodem autore Nasereddaulae Emiratus tantum per tres menses durabat; quod quidem temporis spatium nimis breue videtur, nec aliis scriptoribus, minime Abulfaragio et Elmacino, quos testes ipse indicauit, comprobari potest.

Marigny *k*) Nasereddaulam Emirorum al Omrah ordini haud adnumerauit. Sed immerito. Abulfaragius enim, Chalifam ei illum titulum dedisse, plane dixit, dum quoque Abulfeda et Elmacin, quamquam Nasereddaulam Emirum al Omrah non appellant, tamen eum talem agnoscunt. Hoc quoque loco, vt fere semper, ille

---

Hamdamides; quo facto saeuientes Dailomitae ipsius aedes depraedabantur"; ex qua versione Dailomitarum seditio palatiique Nasereddaulae expilatio per eius excessum Mausolam effecta fuisset. Sed potius e contrario Dailomitarum seditio, cur Nasereddaula Bagdado excesserit, causa fuisse mihi videtur. Nam alias Abulfeda Emiri al Omrah fugam sine causa adiecta retulisset. Verbis igitur وثارت الديلم ونهبت داره illius subitae fugae causa inest. و enim copulat. Arabum, vt ו quoque Hebraeorum saepissime *quoniam* vel *nam* significat.

g) Abulfarag. hist. dynast. p. 305. Anno 330 ille fit Emir al Omrah, et imperio eodem anno iam deiectus, tamen id tenuit per tredecim menses! —

h) Elmac. hist. Sarac. p. 211.

i) Histoire des Huns T. I. P. I. p. 333 et 334 "il ne posseda cette charge que pendant 3 mois. Deposé vers le mois Ramadhan 331." Si Deguignes reuera Nasereddaulae imperii spatium ex Abulfaragio (Elmacin illud haud determinauit) sumsit, tredecim menses initio imperii determinato absurde repugnare, persuasus, عنه omisit. Attamen in determinando anno nec cum Abulfaragio, nec cum Elmacino consentit. Quomodo testibus illis auctoribus mensem Ramadanum referre potuerit, sane haud intelligo.

k) Histoire des Arabes T. IV. p. 28.

ſcriptor ex Herbeloto, qui ſcilicet de Naſereddaula tam pauca, vt Emiri al Omrah titulo haud dignus videatur, refert, hauſit *l*).

Praeterea Abulfaragii *m*) enarratio de ſeditione iſta, qua Naſereddaula Mauſelam fugere cogebatur, mihi commemoranda eſt. Scripſit enim: *Seifeddaulae, fratris Naſereddaulae, milites, ſeditione contra eum conflata, ipſum noctu comprehendere parauerant. Sed ille aufugit. Ipſius igitur frater, vt de hac certior factus fuerat, Mauſelam confugit.* Quae obſcura verborum paucitas! —

Sed pergit Abulfeda in enarranda Hamdanidae fuga:

Tum Seifeddaula Bagdadum conuerſus a Mottakio pecuniam, quam militibus, vt Turunum Turcasque a Bagdado retinerent, diuideret, petiit. Mottaki quadringenta millia denariorum, quos per milites diſtribueret, ei miſit.

§. 19.

Turun Emir al Omrah.

Turuno Bagdadum veniente, Seifeddaula ex vrbe fugit. Quo facto Turun, vigeſimo quinto menſis Ramadani h. a. vrbem intrans, a Mottakio trabea donatus, titulum Emiri al Omrah accepit. Sed Mottaki continuo metu a Turuno impletus fuit.

Abulfaragius *n*) Turuni introitum in eundem annum, vt Abulfeda, refert. Sed Elmacin *o*), illum demum a. 332 Emirum al Omrah creatum fuiſſe, tradit. Herbelot eiusque epitomator Marigny, Turunum Bahcamo propinquum fuiſſe, aiunt. Sed quo autore? *p*)

---

l) v. Herbelot. T. III. p. 25.

m) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 305.

n) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 306 appellat eum Tuzunum (توزون) p. 305. occurrit quidem توزون, ſed cum in ſequente pagina ſcriptum ſit توزون idemque ſcriptor in Chron. Syriac. nomen ܬܘܙܘܢ pronunciari velit, punctum ſuper ܙ prima vice ex negligentia omiſſum fuiſſe videtur. Pocockius p. 201 pronunciat, quaſi legiſſet توزون

o) Elmacin. p. 211 pronunciat Buzun (بوزون)

p) Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 724. "Motaki voulant ſe conſerver l'affectation de la Milice Turquesque donna l'an 331 de l'Hegire la charge d'Emir Al Omra, ou de Généraliſſime de ſes Troupes, qu'Jah-

Mottakii metum a Turuno haud ſine cauſa fuiſſe, illius fuga, non ita multo poſt Turuni Bagdadum introitum, Mauſelam, vt ab Hamdanidis auxilium peteret, comprobare poteſt. Abulfeda rem ita enarrat:

§. 20.

Anno 332 Mottaki, metu a Turuno et Ebn Schirzado permotus, Bagdado Mauſelam ad Naſereddaulam exceſſit q).

Abulfaragius, qui hoc loco fuſius, quam noſter, narrat, Chalifam, opportuno, quo ipſius tyrannus, Emir al Omrah, Vaſetae commoratus fuiſſet, tempore vſum, ad Naſereddaulam, vt ab eo milites ſe Mauſelam proficiſcentem comitantes peteret, legatum miſiſſe, perhibet. Tum Hamdanidam ipſius patrui filium, qui eum vna cum feminis et liberis Vezirisque Mauſelam comitaretur, miſiſſe ad Chalifam. Ita quidem Abulfaragius in hiſtoria dynaſtiarum narrat, ſed in Chronico Syriaco *r*) ait, Mottakium prae metu a Turuno Calunikum (ܩܠܘܢܝܩܘܡ) *s*), et quidem anno 333 demum effugiſſe. Sed narratio in libris dynaſt. eſt melior emendatiorque. Pergit noſter:

Seifeddaula deſcendebat, vt Tacritae eum exciperet. Tum Naſereddaula quoque Tacritam deſcendebat et Chalifam Mauſelam comitabatur. Chalifa cum Hamdanidis Raccam conuerſus, ibi ſedem fixit. Sed Mottaki,

---

kem avoit poſſedée à Tozun ſon proche parent, et ôta ainſi toûte espérance à Baridi de s'emperer d'un Commandement, auquel il aspirait avec tant d'ardeur."

q) Abulfarag. in dynaſt. hiſt. p. 306 de Ebn Schîrzado haec refert: "h. a. 332 prodiit Bagdadi latro, cuius impotentes erant homines. Nam Ebn Schirzad tutum eum reddidit. Fuit autem ille Schirzad ex primis Tuzuni magnatibus. Emiro al Omrah illum latronem veſtem honoris induit eique conditionem, vt ſingulo menſe quindecim mille denarios ex iis, quae ipſe ſociique rapuiſſent, ad ſe adferret, praefiniuit; quam quidem ſummam accepit modo nequiſſimo. Cui nequitiae ſimile quid nunquam auditum eſt."

r) v. Bar-Hebraei chon. Syriac. p. 189.

s) eadem vrbs, quae quoque ܐܪܙܘܢ appellabatur. Metropolis fuit illius Meſopotamiae partis, quae Diar Modzar nominata erat. V. de ea notas in Alfergan. p. 252 et 253.

se Hamdanidis, qui ipsius discessum optare videbantur, oneri esse, ratus, per litteras a Turuno, vt Bagdadum reueniret, veniam petiit.

Abulfedam hoc loco, nimiae breuitati studentem, obscurum esse, satis apparet. Elmacin autem multo distinctius atque clarius rem enarrauit. Liceat igitur mihi, vt Abulfedae enarrationem illustrem, Elmacini verba hic reddere *t*):

Anno 333 Mottaki, postquam regni imperium Turcae Buzuno commiserat, imperio sese abdicauit. Tum, inter eum et Buzunum discordia facta, Bagdado Mauselam, de illo iratus, conuersus, ab ipsius defensoribus, dum Hamdanidas ex locis suis, vt Buzuno bellum inferrent, euocabat, de integro auxilium contra hostem petiit. Illi igitur conuocati contracta manu Bagdadum versus profecti sunt. Tum Buzun Turca, vrbe relicta, Hamdanidis obuiam factus, eos fugauit dissipauitque. Nasereddaula et Seifeddaula Chalifam secum Mauselam traxere; in qua vrbe Moctafi mansit, illosque trabea ornauit. Tum Raccam, vbi a Buzuno de suo Bagdadum reditu, quem tamen reiiciebat, veniam accepit, reuersus est. Mox autem, cum, se Hamdanidis molestum esse, putaret, ad Buzunum, vt ab eo gratiae reconciliationem peteret, misit. Huc vsque Abulfeda antecedente anno res retulerat. Nunc igitur, priusquam ad continuatam Elmacini narrationem transimus, videamus de iis, quae noster sequente anno refert:

§. 21.

Anno 333 Achschido u), Aegypti principi litteras, in quibus de suo externo et interno statu querebatur, scripsit. Achschid ab Aegypto Halebum v), inde autem Raccam, vbi cum Mottakio conueniebat, profectus est. Chalifae pretiosa dona adtulit, simulque, vt secum in Aegyptum vel Syriam profectus, sub ipsius tutela esset, eum permouere studuit. Sed nihil effecit. Tum ei, vt Raccae remaneret, suasit metumque a Turuno eius animo iniecit. Sed frustra. Mottaki enim iam, vt supra memorauimus, de reconciliatione legatum ad Turunum miserat; qui quidem

---

t) Elmac. hist. Sarac. p. 211 seqq.

u) v. Abulfed. p. 408 et Elmacin. p. 219, qui dicit, Achschidum (الاخشيد) cognomen, quod Radi illi indidisset, fuisse.

v) حلب χαλεπ, Aleppo, inclyta illa Syriae vrbs.

de omnibus, quae Chalifa voluerat, iusiurandum dederat. Mottaki igitur die vigesimo Moharramae Bagdadum descendebat, dum Achschid in Aegyptum reuertebatur.

Elmacin *x*) et Abulfaragius *y*) eadem tradunt. Herbelot *z*) de Mottakii fuga Mauselam, vt apud Hamdanidas praesidium contra Turunum quaereret, nihil scripsit, sed eo autore Achschidi auxilium tantum implorauit; quod quidem auctoritate caret. Sed conuertamus nos ad Chalifae Bagdadum introitum. Abulfeda pergit:

§. 22.

Cum Mottaki Hitam (هيت) *a) attigisset, substitit et ad Turunum, vt sibi iusiurandum iteraret, misit. Turun igitur, Bagdado relicta, vt Chalifam exciperet, occurrit ei Sendiae,* (سندية) *b) vbi ei custodem, donec in ipsius tentorium duceretur, praefecit. Tum Mottakio comprehenso oculi obcaecati sunt c). Mottaki omnesque feminae et famuli, qui cum eo erant, alta voce exclamabant. Sed Turun, vt clamor deprimeretur, tympana pulsari iussit. Quo facto Turun cum Mottakio obcaecato Bagdadum descendebat.*

---

x) Elmacin. hist. Sarac. l. c.

y) Abulfarag. hist. Dynast. p. 307.

z) Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 724. "L'an 332 Motaki s'étant brouillé avec Tozun, qui entreprenoit tous les jours de plus en plus sur son autorité, et voulant lui oster la charge qu'il lui avoit donnée, irrita tellement ce Turc, qu'il fut obligé lui même, pour se mettre en sûreté, de quitter pour la seconde fois la Ville de Bagdet, et de se sauver en Syrie pour implorer le secours d'Achschid qui s'étoit rendu le Maitre de cette Province, aussi-bien que de toute l'Egypte. Il étoit déja arrivé à la ville de Rakah en Mesopotamie, lorsque sans attendre le secours qu'Achschid lui avait promis, il changea tout à coup de resolution, et dépêcha un Officier de ses Gardes vers Tozun pour traiter d'accommodement avec lui."

a) Hit ad septentrionem Euphratis supra Anbar, Iracae oppidum. cf. Abulfed. geogr. p. 256 et Golii not. in Alfergan p. 124.

b) Sendia, vt patet ex hoc loco, vrbs Iracae fuit inter Bagdadum et Hitam; cf. quoque de ea Abulfedam nostrum T. II. p. 338 et 339 et Reiskii additamentum geographicum.

c) وسمله واعمى عينيه Reiskius rationem, qua oculos obcaecare solebant, circumscribens vertit; "lamina candente vsu vtriusque oculi eum priuauit."

Secundum caeteros ſcriptores Emir al Omrah non ſtatim animum detexit, ſed primum fraudem humiliſſimis blanditiis, quibus Chalifam mulcebat, celare ſtuduit *d*). Abulfaragius e. g. enarrat:

Thuzun iureiurando, quod dedit Chalifae, vt Bagdadum rediret, eum permouit. Simulac Thuzun acceperat, Chalifam cum aqua venire e), militibus collectis ex vrbe ei obuiam iuit. Cum conuenirent, Emir al Omrah equo deſcendens terram oſculabatur. Chalifam pedibus anteiuit, donec ille eum equum inſcendere adegit. Thuzun, occulta primum fraude, comitibus ſuis, vt Chalifam eiusque ſocios circumdarent, nutauit.

Abulfaragius, iam prius, quam Emir al Omrah Bagdadum veniſſet, Abdallam, ex vrbe aduocatum, Sendinae Chalifam creatum fuiſſe, perhibet. Elmacin, Chalifam imperio depulſum nouo, cuius patruus fuiſſet, traditum fuiſſe, addit.

Mottakii imperium durauerat per tres annos, quinque menſes et viginti dies. Matri eius, pellici, nomen Chalubae fuit.

Secundum caeteros autores Mottaki, minantibus ei necem, Abulfaragium Turuno, teſtibus adhibitis, Elmacinum Abdallae, ipſius ſucceſſori, Chalifatum eiurare coactus eſt. Quod attinet ad temporis ſpatium,

---

d) cf. quoque Elmac. hiſt. Sarac. p. 212; Abulfarag. hiſt. dyn. p. 307.

e) Chron. Syriac. p. 189. Verba Syriaca ſunt haec: ܟܕ ܫܡܥ ܬܘܙܘܢ ܠܚܠܝܦܐ ܕܡܐ ܠܡܐܬܐ ܥܡ ܡܐܢܐ ܗܘ ܥܡ ܚܝܠܗ i. e. cum Tuzun audiret, eum (Chalifam) cum aqua venire, exercitum ſuum contrahebat. Sed quid ſignificat: "cum aqua venire?" Kirſchius in lat. verſione, in adnot. 206 p. XXXI loquendi rationem "regem Thuzuni imperium aliqua ex parte accepturum eſſe" ſignificare, coniicit, dum confert. Caſtell. lexic. ſub voce ܡܐܢܐ et Druſ. obſeruat. ibi cit. Ex loco illo citato (v. lex. Syr. p. 496) "vt parent mihi terram ܡܐܢܐ et aquam h. e. vt profiteantur ſe imperium accepiſſe," (Druſ. obſeruat. XII, 20) apparet quidem, vt verba "aqua et terra" ſibi oppoſita ſenſum totius imperii exprimant, ſed verbum ſolum ܡܐܢܐ (aqua) in hoc verborum contextu "aliquam imperii partem" ſignificare, mihi certe non placet. Nonne liceat, vt mutatis litteris et adiecto o legamus pro ܡܐܢܐ melius ܡܐܢܐ *illo die*, et vertamus "cum Tuzun audiret, Chalifam venire, illo die exercitum contraxit;" quae prolixa loquendi ratio apud ſcriptores Syriacos haud offendit.

per quod Mottaki regnabat, alii ſcriptores cum Abulfeda non conſentiunt. Elmacin, Chalifam tres annos et vndecim menſes Abulfaragius *f*), tres annos et ſex menſes, Deguignes *g*), quatuor annos et vndecim menſes, Herbelot *h*) denique ſecundum Khondemirum, illum tres annos et vndecim menſes imperium tenuiſſe, contendit. Vt enarrat Elmacin, menſe Schaabano demum anni 357 ſexaginta annos natus Chalifa mortuus eſt. Renaudot, Mottakium in Aegypto, vbi, ab Achſchido inuitatus, vltimos vitae annos peregiſſet *i*), diem ſupremum obiiſſe, perhibet.

§. 23.

Pergit Abulfeda:

Turun, cum in poteſtate haberet Mottakium, Moſtacfio billah ſacramentum dicebat k). Sendinam eum aduocauerat, vbi populus in eius verba iurabat. Moſtacfi illo die, quo Mottaki imperio ſeſe abdicauerat, ſecundo h. a. menſe creatus eſt.

Turun, creato illo Chalifa, ſuam potentiam auxerat. Nouus enim imperator in omnibus rebus ipſius creatori, vt ita dicam, ſeſe accommodare debebat. Sed mors Emirum al Omrah poteſtate mox priuauit. Iam

§. 24.

Initio anni 334 Turun Bagdadi, poſtquam Emiratum duos annos, quatuor menſes et nouemdecim dies geſſerat, obiit. Poſt eius mortem ſtatim milites Schirzadi filium, Hitae commorantem, ipſorum Emirum fecere. Calendis igitur Safari Bagdadum intrauit atque ad Moſtacfium, ſe ei ſacramento dicere velle, miſit. Iurauit autem praeſentibus iudicibus factusque eſt Emir al Omrah.

---

f) cf. Elmac. et Abulfarag. l. c.

g) Deguignes T. I. p. I. p. 329.

h) Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 724.

i) Renaudot hiſt. Patriarch. Alex. Iac. p. 350 "mox vbi depoſitus eſt Chalifa, Achſchid cum in Aegyptum, qua potiebatur, inuitauit; ſed omni dignitate exutus, ad annum 357um ſuperuixit."

k) v. Abulfarag. hiſt. dynaſt. p. 307 et 308 de cauſa, ex qua ille creatus fuerat.

Eodem modo narrat quoque Abulfaragius *l*). Appellat nouum Emirum al Omrah Siracum (زيرك), Schirzadi filium. Elmacin huius Emiri al Omrah ne mentionem quidem fecit. Sed Deguignes *m*) merito ordini Emirorum al Omrah eum adnumerat, appellans eius nomen Dzairaq, quamuis tam breue tantum tempus (tres menſes eo autore) imperauerat. Quo ex fonte hauſerit Marigny *n*), Turunum, morbo oppreſſum, Siracum ſuum ſucceſſorem decreuiſſe, neſcio.

---

l) Abulfarag hiſt. dyn. p. 309.

m) Deguignes T. I. p. I. p. 333.

n) Hiſtoire des Arabes T. IV. p. 36. "Tozun étant tombé malade, remit toutes les affaires entre les mains d'un Officier Turc, nommé Schirzad pour les gérer ſous ſes ordres; et ſa maladie s'étant conſiderablement augmentée, il dispoſa de ſa charge comme d'une bien héréditaire, et la transmit à ce même Schirzad de ſa propre autorité."

SECTIO SECVNDA,

historiam Emirorum al Omrah ab anno Arabum 334. Christ. 945 vsque ad annum 372. Christ. 982, siue a Buidarum Bagdadi summi Emiratus initio vsque ad Adadeddaulae mortem continens.

§. 1.

Antequam ad Buidarum Bagdadi imperium, quod anno 334 incipit, progrediamur, de huius dynastiae initiis pauca praemonere, haud a re alienum erit.

Proauus illius gentis celeberrimae Buia (بوية), Abu Schodschaa (ابوشجاع) cognominatus, fuit.

Ad annum 321 p. 373 haec refert de eo Abulfeda:

Buia vir mediocris conditionis a) inter Dailomitas b) fuit. Cognomen ei erat Abu Schodschaa. Postea, cum Buiae filiorum regnum fundatum esset, ipsorum genealogia celebris erat, appellabantque Buiam, filium Fana Chosru (فنا خسرو), *cuius gens* (ne vana nomina ex Abulfeda depingam) *vsque ad Baharam Dschaur* (بهرام جور), *Persarum regem, filium Iezdedscherdi* (يزدجرد) *regis, reducebatur, ita vt denique series Ardaschiro, filio Babeki, Persarum rege, qui Cosroes appellabatur, clauderetur c). Buiae tres filii erant: Amadeddaula* (عماد الدولة), *Abul Ha-*

---

a) Elmac. p. 201. Buiam pauperem piscatorem fuisse, tradit; cf. quoque Deguignes T. I. p. I. p. 406 et Herbelot. bibl. orient. p. 418 sub titulo Buiah.

b) Fines terrae Dailomitarum definit Golius in notis in Alfergan. p. 204 ita: "regio ampla est, et potiorem partem montosa; quam terminat abortu quidem Tabristana ante exposita, et initium exponendae mox ditionis Rey, a meridie autem eiusdem Rey pars alia, tractus Cazwini, et dicenda post Aderbigiana; quae et alia sui portione cingit ab occasu. Denique eiusdem Deilemà septentrione terminum Arabes quidam statuunt mare Hyrcanum; ita vt hac circumscriptione vtrumque regionis Deilemicae partem comprehendant, et montosam, quae proprie Deilem vocatur, et planam, quae peculiari nomine Gilan dicitur."

c) Elmacin l. c. dicit, Buiam ipsius gentem reduxisse in Saburum Dilactafam, Kerman Schah cognominatum, filium Ardschiri Persarum regis. —

ſan Ali (ابو الحسن علي) *et Rocneddaula* (ركن الدولة) *Haſan, et Moezeddaula,* (معز الدولة) *Abul Haſain Ahmed* (ابو الحسين احمد). *Sub Macano, Calii filio, Dailomita, ſtipendia fecere d). Dum Dailomita Asſar, filius Schiruieh et Mardaviſch prouincias illas, quas ſupra commemorauimus e), imperio tenuit, Macan, Calii filius, Tabareſtanae f) praefectus fuit; cui quidem illi tres Buiae filii omnium eius militum maxime aeſtimati erant g). Cum Macan, Mardavidſcho eius tractum occupante, Tabareſtana relicta, Damegana potitus, inde autem Niſaburum fugere coactus eſſet, tres Buiae filii eum non deſerebant. Cum autem eum debilem, nec Mardavidſcho in proeliis parem eſſe, viderent, ſe, mutatis rebus, redituros eſſe, promittentes, ab eo dimiſſionem petebant. Venia abeundi impetrata, ad Mardavidſchum tranſibant, dum plures Macani exercitus eorum exemplum ſequebantur. Mardavidſchus eos benigne excepit. Amadeddaulam tamen breui tempore tanto amore complectebatur, vt ei Cardſchum h) traderet. Sed ibi breui tantam auctoritatem ſamamque ſibi comparauit, vt Mardavidſch, quantopere eum amauerat, tantopere eum metuere inciperet. Profecto nunc ille, vt nouum imperium ſibi crearet, operam dedit. Expugnabat enim Isfahanam i) vnde, poſtquam*

Cf. quoque Ommiam Iahhiam p. 72, vbi dicitur: "Gebali ſcriba Bojadarum originem ad Beheram Gur refert."

d) Ommia Iahhia l. c. "cum Macan Kachi fil. Regioni Tabariſtan praefectus eſſet, Buja in eius famulitio viuebat, cum tribus liberis Ali, Haſan et Achmed."

e) v. Abulfedam p. 352 ad ann. 315. Confer quoque Elmacin. p. 191 ad eundem annum.

f) طبرستان "montoſa regio et mera fere ſylua, aquis ex editiore parte per planiorem effuſis irrigua." Gol. in not. in Alferg. p. 193 ſeqq.

g) De ſplendida ſpe, quam Buia in animo de filiis ſuis fouebat, et de vaticinationibus, quas de iis interroganti Aſtrologi dabant, v. Abulfarag. hiſt. dyn. p. 297, cuius hiſtoriam ibi enarratam ſed ridiculam repetit quoque Herbelot l. ſupra cit.

h) de Cardſch vide Reiskii adnot. hiſt. ad h. l. p. 753.

i) de Isfahana, vrbe Perſiae notiſſima, quae اصفهان et اسفهان atque etiam اصبهان ſcribitur v. Gol. in not. ad Alfergan. p. 214-218 et Bernhardum de Jeniſch in notis geographico-litterariis ad Mirkhondium p. 171 et 172.

eam per duos menses rapinis vexauerat, neglectis Mardavidschi precibus minisque, Ardschanam k), quo Ebn Iacut, cuius, Isfahanae a Chalifa praefecti, exercitum decem milllium militum parua manu fuderat Amadeddaula, fugerat l), mense Dulhadschia anni 320 in potestatem suam redegit. Nunc in dies eius res crescebant. Anno 321 Naubendschanam occupabat, fratremque Rocneddaulam in Cazerunam aliasque Persidis provincias, vt tributum iis imperatum exigeret m), misit. Anno 322 vrbe Schiraza potitus est. Anno 323 Isfahanae, postquam de ea aliisque provinciis, et Hamadan, et Com, et Caschan et Caradsch et Raia et Kenkewar et Cazwin cum Vaschmekiro, Mardavidschi, qui sua crudelitate eodem anno necem sibi contraxerat, fratre, acrem pugnam pugnauerat n), possessionem reddidit firmissimam o).

Ita Buidarum gens, breuissimo tempore ab humili loco ad summum fastigium euecta, tota Persia potita est. Amadeddaula Schirazae, et Rocneddaula Isfahanae *p)* sedem habebant, dum Moezdedaula Ahvazam occupauerat *q)*. Nunc tempus incipit, quo

---

k) ارجان Susianae extrema pars, quae cognominem habet vrbem ad fluvium طاب Eulaeum, quae videtur esse Urzan Ptolemaei v. Gol. p. 118.

l) Elmacin l. c. rem plane aliter enarrat. Eo autore Vasmakir (وسمكير), a fratre Mardavidscho contra Amadeddaulam missus, praepotentibus viribus, vt, Isfahana relicta, Ardschanam sese conuerteret, eum coegit; qua quidem regione, vt paulatim tota Persia, Amadeddaula potitus est. Herbelot p. 419 cladis Iacuto ab Amadeddaula illatae quoque mentionem facit, sed eiusdem aliam causam addit. Iacutum scilicet haud quaquam ab Amadeddaula Isfahana expulsum fuisse, sed a Mardavidscho, quo facto in illum eiusque fratres incidisse, refert.

m) v. Abulfedam p. 380 et Abulfarag. hist. dyn. p. 298.

n) Eadem pagna de Isfahana, quam Elmacin ad ann. 315 pag. 192, viuo Mardavidscho, describit, fuisse videtur; cf. quoque Ommiam Iahhiam l. c. cit.

o) Semel scilicet eam iam expugnauerat (Abulfed. p. 372 et Elmacin. p. 202.) Mardavidscho adhuc viuente. Nunc post eius mortem de possidenda Isfahana cum illius fratre Vaschmekiro ei decertandum erat.

p) Abulfed. p. 400.

q) Abulfed. p. 401; Elmac. p. 204 ad ann. 326. Herbelot. p. 639 tradit, Moezeddaulae a fratre prouinciam Kermanam, quam tamen eius possessori Mohammedi, vulgo nominato Emiro Alio, eripere debuisset, remissam fuisse. Pluribus cum eo praeliis commissis, eum effugisse et

Buidae, rebus Bagdadi immixti, in ea quoque vrbe ſummum imperium aſſecuti ſunt.

Nunc Bagdadum reuertamur. Reliqueramus eam a. 334, quo, mortuo Turuno, Ebn Schirzad Emir al Omrah creatus fuerat. Sed haud diu honore fruitus eſt. *Nam iam eodem anno*, pergit Abulfeda, p. 436.

§. 2.

Moezeddaula Emir al Omrah.

"*Moezeddaula Ahvazae r) de Turuni morte certior factus, vt Bagdadum proficiſceretur, caſtra mouebat. Cum ad vrbem appropinquaret, Moſtacſi billah et Schirzadi filius s), cuius Emiratus tres menſes aliquotque dies durauerat, delituere. Haſan, Mohammedis filius, Mohallabita, Moezeddaulae Saheb t), Bagdadum intrabat u), quo facto Turcae Mauſe-*

---

in caſtello ſeſe incluſiſſe. De prouincia Kermana a Moezeddaula occupata cf. quoque Ommiam Iahhiam p. 73 et Relaciones de Pedro Teixeira etc. p. 270 "deſpues que Emaududaule Aly deſpacho ſu hermano Roknadaule Acan (como queda dicho) lo hizo tambien al otro Mohayzedudaule Achmet ſobre Kerman, el qual lo occupo."

r) Mirkhondio autore a Kermana ſtatim Bagdadum ſeſe contulit, dum apud Teixeiram legitur. p. 270 "haviendolo (Kermanam ſcilicet) ſeguardo con buenos preſidios ſe fue ſobre Bagadad, lo qual vindio por fuerza etc." quod quidem cum aliorum ſcriptorum chronologia haud conciliari poteſt. Kermanam enim a. 322 (cf. Herbelot T. II. p. 639) Ahvazam autem (cf. Abulfed. p. 402; Elmacin p. 204; Abulfarag. hiſt. dyn. p. 303) demum a. 326 cepit. Hinc ſequitur, ne a Kermana ſtatim Bagdadum proficiſceretur, ſed vt antea Ahvazam occuparet. Eum porro Bagdadum vi cepiſſe, omnium aliorum ſcriptorum teſtimonio plane repugnat.

s) Elmacin hoc quoque loco Schirzadi filium non commemorat, ſed Chalifam ſolum effugiſſe, tradit.

t) Saheb (صاحب) h. l. eſt comes, ſocius. De hac voce dubitat Reiskius in adnot. hiſt. p. 764 dum dicit: "notat vox Saheb comitem, principis familiarem. Videtur dignitas paullo minor, quam Veziri fuiſſe. Nam infra ſub annum 339 ait Noſter, hunc Haſanam a Moezeddaula poſt obitum veteris Veziri ſuffectum in eius locum fuiſſe. Sed ad ann. 385 Ibn-Albadum ait primum Sakebi titulum geſſiſſe; quod cum hoc loco non concilio." At cur non? Dum hoc loco noſter Haſanum comitem et amicum Moezeddaulae appellat, titulo صاحب non certum munus inhaeret, quod forte cum Veziri dignitate conferendum eſſet. Nam p. 454,

*lam confugiebant. Tum Moſtacfi prodiit, et ad Mohallabitam, laetitiam de Moezeddaulae aduentu prae ſe ferens, ſeſe contulit. * Dicebat ei, ſe tantum prae Turcarum timore delituiſſe, nunc igitur, relicta ab iis Bagdado, denuo comparere. Moezeddaula duodecimo die ſecundi Dſchamadi i. e. quinti menſis h. a. Bagdadum intrauit. Conueniebat cum Moſtacfio eumque Chalifam agnouit. Viciſſim ei Chalifa ſacramento dicebat, trabeaque ornato cognomen Moezeddaulae ab eo inde die dabat, ſimulque titulum omnium Buidarum denariis et drachmis incudi iubebat x). Moez-*

---

vt docent ipſa Abulfedae verba (واستوزر معزالدولة ابا محمد الحسن المهلبي), Moezeddaula non *Sahebum*, ſed ſolum *Mohammedem Haſanum* in Veziri locum ſubſtituit, vel, vt clarius dicam, Haſan, dum Vezirus creabatur, non ab inferiore Sahebi muneris gradu ad maiorem adſcendebat, ſed plane fortuito is, qui p. 436 a noſtro Moezeddaulae comes et ſocius appellatur, nunc, eius Vezirus fit. Si igitur noſter ad annum 385 de Abul Caſemo, celeberrimo Abadi filio p. 586 refert: وهو اول من لقب بالصاحب من الوزراء "primus Vezirorum, qui Saheb appellabatur, fuit" haudquaquam ſibimet ipſi repugnat. Nam ab eo inde tempore, quo ille vir praeclarus Veziri munere fungebatur, eius titulus *conſiliarii* in familiariorem *comitis* mutabatur, ita vt nunc primum ei certa dignitas ineſſet.

u) Mohallabitae nullus alius ſcriptor mentionem fecit.

x) Elmacin, qui p. 217 inſignia Moezeddaulae a Chalifa tributa enumerat, addit: وفوض اليه ما وراء بابه quae quidem verba ita vertit Erpenius: "conceſſit ei etiam poſteriorem aulae ſuae partem" — ſed num honor Emiro al Omrah fuit, quod in parte Chalifae aulae poſteriore habitabat? Inſuper, ſi Abulfedae credimus, in Munaſi aedibus ſedem habuit. وراء eſt *pars poſtica*, ſed وراء ſignificat quoque: *praeter*. Verti igitur poſſunt illa verba: *et conceſſit ei omnia praeter ipſius vel extra ipſius palatium*, ita vt verborum ſenſus ſit: Chalifae imperium tantummodo intra ipſius palatium vim habebat; extra ipſum omnis poteſtas de tota terra in Emiri al Omrah arbitrio fuit poſita. Perſici ſcilicet ſcriptores, qui Moezeddaulae quam maximam poteſtatem tribuere volunt, Emirum al Omrah Chalifae ne in ipſius palatio quidem imperium remiſiſſe, tradunt. Dicit igitur Herbelot ex Khondemiro T. II. p. 706, ſub titulo Moſtacfi: "Le Khalife Moſtacfi qui ne pouvoit aſſez reconnoitre le grand ſervice que Moezaldoulat lui avoit rendu, crût qu'il devoit pour ſa propre ſureté lui confier la garde des dehors de ſon Palais, et parce qu'il lui donnoit par ce moyen une entière autorité, non ſeulement dans ſes Etats, mais encore, ſur ſa perſonne même, il ordonna que ſon nom fût publié dans les Mosquées après celui du Khalife, et que l'on battît auſſi de la monnoye à ſon coin."

eddaula in Munari palatium commigrabat, militesque per ciuium domos distribuebat. Quod quidem ciuibus admodum oneri fuit, inprimis cum iis Moezeddaula in Mostacfii gratiam quinque millia drachmarum, quam quidem summam ipsius scribam exigere et in Chalifae aerarium conferre iubebat, imperaret.

Omnes scriptores de honorifico, quo Moezeddaulam Bagdadi excipiebant, modo consentiunt, immo autores Persici, vt popularem magis celebrent, Moezeddaulam a Chalifa aduocatum fuisse, addunt *y*).

Mox autem Chalifa, quam imprudenter, quod tantam potestatem credidisset Persae, egisset, intellexit.

§. 3.

Mostacfi imperio depellitur et Motia Chalifa creatur.

Eodem anno Mostacfi billa, Abul Casem Abdalla, filius Moctafii Alii, filii Moatadedi, filii Movafeki vigesimo secundo die secundi Dschamadi dignitate priuatus est z). Abdicatio fiebat hoc modo: Moezeddaula eiusque milites, et alii propter principis Chorasanici a) legatorum aduentum in Chalifae palatium confluebant. Chalifa Moezeddaulam secum in

---

y) v. Ommiam Iahhiam p. 73 "aduocatus a Chalifa ann. Heg. 334 Bagdadum cepit"; Herbelot l. c. ex Khondemiro "les habitans de Bagdet ne pouvant plus souffrir le gouvernement tyrannique de Schirzad, resolurent d'appeller un des Princes de la Maison de Bouiah qui fut depuis surnommé Moezaldoulat, pour se délivrer des mains de ce Turc. Moezaldoulat qui se trouvoit pour lors dans la Province d'Avaz qui sépare l'Iraque Babylonienne de la Perse, ne se fit pas beaucoup prier"; v. quoque Reiskii adnot. hist. 337 p. 765, vbi locum ex Hamza Isfah. citat, qui ita laudat Buidas: "principes dynastiae, quae prodiit e Tabarestana, ideo commemoro, quia repurgarunt terras Moslemicas a foeda lue Carmatitarum, et regni sedem (Bagdadum) a praedonibus, et seditionum conflatoribus, et quod contuderunt Iazidicos (alias Baridicos) homines verae fidei osores, qui debitam reuerentiam Chalifatui abstulerant, et introduxerant mores Sodomiticos; quos deus aeterni ignis aestu vehementissimo torreat".

z) cf. Elmac. p. 217; Abulfarag. hist. dynast. p. 309; Deguignes p. 330; Ommiam Iahhiam p. 58 "eum Moazzuddulas Boiades anno et sex mensibus elapsis captum et imperio depositum excaecauit, initio Guimadae prioris ann. Heg. 333".

a) princeps Chorasanae tum temporis fuit Nasr (نصر), filius Ahmedis, Samanita (السامانى). v. Abulfed. p. 398. Elmacin 204.

ſolio ſedere iuſſit. Tum ingrediebantur duo quidam tribuni Dailomitici et Moſtacfii manus prenſabant. Perſuaſum, eos ipſius manus oſculari velle, e ſolio detrahebant, dum circum eius collum cidarin obtorquebant. Tum Moezeddaula, omnibus attonitis, in ſuum palatium Moſtacfium pedibus euntem propellabat, vbi eum includebat. Chalifae autem palatium, ita vt ne vlla quidem res in eo reſtaret, expilatum fuit. Temporis ſpatium, quo regnabat Chaliſa, fuit vnus annus quatuorque menſes. Cum Motia inauguratus eſſet, ei tradebatur Moſtacfi, quem obcaecabat. Vsque ad mortem in carcere manſit b).

Abulfaragius *c)* commemorat cauſam Moſtacfii necis, quod Moezeddaula, Alamam, Chalifae miniſtram, ipſum de imperio depellendi, conſilium parare, cognouerit. Alamam igitur interfici iubet, interfectae autem linguam exſecari ſimulque Chalifam, eum malefici participem eſſe conſilii, ratus, necem infert. Caeterum iisdem fere verbis, quibus Abulfeda, rem narrauit. In chron. Syriac. minus accurate refert. Elmacin *d)* de Chalifae caede idem docet; contendit tamen, haud creatum Chalifam, ſed Moezeddaulam ipſum Moſtacfio oculos obcaecaſſe. Idem quoque legitur apud Herbelotum, qui inimicitias inter Moezeddaulam et Moſtacfium fieri debuiſſe, demonſtrat *e)*. Marigny *f)* cauſae, omnibus aliis ſcriptori-

---

b) Autore Abulfaragio in chron. Syriac. p. 190 Chalifatum eiurare coactus eſt. Legitur ibi: ܟܕܢܐ ܕܐܠܟܘܢ ܢܦܩܘܢ ܠܘܬ ܡܘܬܥܨܡ ܐܝܟܢܐ ܡܢܗܘܢ ܕܡܘܬܥܨܡ ܡܫܟܚ ܠܗ ܥܝܢܘܗܝ ܠܘܬ ܡܘܬܥܨܡ ܕܢܦܩ ܡܢ ܟܘܪܣܝܐ ܕܡܠܟܘܬܐ h. e. "cum eum in ſolio collocaſſent, Moſtacfium ſub eius oculos ducebant, qui eum ſalutabat, atque, ſe imperium deponere, iurabat. Tum denuo in palatio incluſus eſt".

c) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 309 et 310.

d) Elmacin. hiſt. ſarac. p. 217.

e) Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 706. "Tous ces honneurs que le Khalife fit rendre au Buide, devoient l'attacher inviolablement à ſes interets. Il arriva neanmoins, que la bonne intelligence ne dura pas long-tems entre eux. En effet, il étoit comme impoſſible que deux Princes demeuraſſent dans une même Etat avec un pouvoir égal et abſolu. Ils ſe brouillerent enſemble dès la même année 334, et Moezaldoulat ayant en quelque ſoubçon que Moſtacfi vouloit lui oſter une partie de ſon autorité, il ſe ſaiſit de ſa perſonne, lui fit perdre la vue, et après l'avoir dépoſé, mit à ſa place Mothi, fils de Moctader, qui fut ainſi ſon ſucceſſeur".

bus ignotae, ex qua Moezeddaula Moſtacſium odio perſecutus fuiſſet, mentionem fecit.

Moſtacſio in vincula dato, in eius locum Motia lilla (المطيع لله) *Chalifa inauguratus eſt, et quidem die Iouis vigeſimi et ſecundi ſexti menſis huius anni. Fuit vigeſimus tertius in ordine Chalifarum Abbaſicorum, verumque eius nomen Mofadal* (المفضل), *filius Moctaderi* (المقتدر). *Chalifae poteſtas ita deſcendebat, vt fere nihil autoritatis ei reſtaret. Moezeddaulae praefecti totam Iracam occupare, et nil, niſi quod Moezeddaula ex ſuo arbitrio ei conſtituebat, in Chaliſae manibus reſtare.*

Omnes fere ſcriptores, Chalifam auctoritate, propter Emiri al Omrah arrogantiam, nunc penitus exutum fuiſſe, animaduertunt. Abulfaragio autore ne Vezirus quidem ei fuit, ſed qui huc vsque a rationibus fuerat, eius locum impleuit *g*).

Naſereddaula Hamdanida, cui Emiri al Omrah amiſſa poteſtas adhuc dolori erat *h*), nunc, ſe ſub priſtinae Chalifarum imperii auctoritatis reſtitutionis ſpecie rerum Bagdadi potiri, tempus eſſe opportunum, perſuaſum ſibi habuit.

§. 4.

Bellum inter Naſereddaulam et Moezeddaulam.

Eodem anno, pergit Abulfeda, *Naſereddaula Bagdadum verſus iter direxit. Moezeddaula milites quidem, vt eum interficerent, miſit, ſed illi eum retinere non potuerunt. Naſereddaula ab vrbe Samara i) caſtra mo-*

---

f) Marigny l'hiſt. des Arab. T. IV. p. 46 "ce fut en conſéquence de cette vive perſuaſion, qu'il forma le deſſein de mettre ſur le trône Aboul-Haſſan ben-Iahia Alzeidi, un des Chefs principeaux de la maiſon d'Ali, pour lequel les Muſelmans avoient la plus grande véneration, à cauſe de ſa ſcience de ſa piété. Mais l'Emir ayant communiqué ce projet à Mohammed-al-Zaniri ſon Secrétaire et ſon homme de confiance, celui-ci l'on d'étourna par le portrait qu'il lui fit du bouleverſement, affreux qu'un tel changement occaſionneroit, non ſeulement dans l'Etat, mais dans ſes propres affaires. Moezeddulat renonça donc à ſon deſſain etc."

g) cf. Abulfarag. hiſt. dyn. p. 311; Herbelot p. 739.

h) cf. Abulfed. p. 422, Elmacin. 211, Abulfarag. in dyn. hiſt. l. c. et quae ſupra ad annum 331 diximus.

i) haec vrbs, condita a Motaſemo, inclyta eſt, quia in ea viuus et mortuus ſedem habebat Motavakkel (المتوكل) cf. Abulfed. T. II. p. 168 et

vens decimo die Ramadani Bagdadum intrauit. Moezeddaula Motiam secum Tacritam k) duxit; quam quidem vrbem, quia Nasereddaulae subiecta erat, populabatur.

Moezeddaulam illam vrbem vastasse, haud alius scripsit. Elmacin *l*) paucis verbis bellum Moezeddaulae contra Hamdanidam commemorat, et Abulfaragius *m*) quoque hanc rem leuiter tantum stringit.

Moezeddaula cum Chalifa Bagdadum reuersus, in partem occidentalem descendit, dum Nasereddaula ipsius copias in parte orientali collocauit.

Elmacin, hunc Moezeddaulae reditum per proelium, infaustis auspiciis commissum, effectum fuisse, contendit.

Illis diebus Motiae in templis nullae preces factae sunt. Multae caedes Bagdadi inter eos perpetratae sunt n), quibus efficiebatur, Nasereddaulam cum exercitu fugari, Moezeddaulam vero orientali vrbis parte potiri, et Chalisam mense Moharramo anni trecentesimi trigesimi quinti in sedem suam redire. Moezeddaula Bagdadi, Nasereddaula Ocbarae auctoritatem suam firmauit. Simulac Nasereddaula Mauselam reuersus erat, Moharramo anni trigesimi quinti inter illum et Moezeddaulam firma pax conuenit.

---

220. Semel p. 108 inuenio eius nomen scriptum Teschdido (سامرّا) p. 220 l. c. nominatur illa quoque Ascar (العسكر) لسكني العسكر بها "quia castra in ea habebat exercitus."

k) de Tacrita v. quoque Abulfed. T. I. p. 234.

l) Elmac. p. 219.

m) Abulfarag. chron. syriac. p. 190.

n) Bar Hebraeus viuidissimis coloribus miseriam, qua Bagdad tum afflicta fuit, depingere studet. Ipsius verba suggerere mihi liceat: "cum Victor Moez (Moezeddaula) in partem orientalem transiret, Mauselam fugiebat Nasereddaula; omnes quoque, qui illam vrbis partem habitabant, viri et mulieres, prae metu Moezeddaulae gladii, vt Mauselam confugerent, exiere. Multi, praesertim autem feminae, eundo haud adsuetae, in via ex siti et lassitudine mortem occubuere. Conspiciebatur nobilis gentis femina, quae, iuxta viam prostrata, pretiosis ornata fuit vestibus, et, dum crumenam manu tenebat, exclamabat: en! ducentos denarios: date mihi paulum aquae. Sed nemo eius rationem habuit, ita vt ne gratis quidem crumenam eius manibus eriperet, sed vnusquisque totus in fuga fuit. Periere decem millia hominum in illa fuga. Quae cum Moez accepisset, non pacem

Elmacin *o*) ſcribit quidem quoque, pugnam ſecundo Moezeddaulae Marte finitam fuiſſe, ſed de pace cum Naſereddaula eo anno facta nihil refert. Eo potius autore anno 337 demum Buida Mauſelam profectus pacem cum Naſereddaulae fratre, Seifeddaula, init *p*).

Sed pax illa a. 336 a noſtro commemorata haud diu durauit, ſed iam inſequente anno Moezeddaula nouam expeditionem contra Mauſelam ſuſcepit. Scribit de ea Abulfeda:

Anno 337 Moezeddaula Mauſela potitus eſt; quo facto inde Naſereddaula Niſibinam confugit. Sed nuncius, Choraſanae exercitum in Moezeddaulae terram incurſionem feciſſe, ad eum allatus eſt. Caſtris igitur Mauſela motis, Naſereddaula in eam vrbem rediit.

At apud Abulfedam ſolum de Emiri al Omrah eo anno expeditione bellica legitur: Caeteri ſcriptores *q*) eum demum, decem annis praeterlapſis, Mauſelae bellum intuliſſe, aiunt. Cum autem ad annum 347 noui contra Naſereddaulam belli apud noſtrum haud mentio fecit, illud inſuper a caeteris ſcriptoribus eo anno commemoratum ei ad annum 337 ab Abulfeda deſcripto, vtriusque ſucceſſu et ſingulis rebus comparatis, ſimile ſit *r*): duas illas expeditiones, quas variis annis ſuſceptas memoriae prodidere ſcriptores, vnam eandemque tantummodo eſſe, puto.

Abulfeda in determinando tempore erraſſe mihi videtur. Nam praeterquam quod omnes alii ſcriptores contra eum teſtentur, Moezeddaulam, ſtatim poſt pacem factam, denuo arma collegiſſe, haud veriſimile eſt. Abulfaragius quidem *s*), Naſereddaulam, ne promiſſum Moezeddaulae tributum Bagdadum mitteret, recuſaſſe, referens, Emirum al Omrah de ſubito rupta pace excuſat; ſed ta-

---

ſolum praedicari iuſſit, ſed fugientibus etiam aquam porrexit, eosque reduxit. Fertur, eos per omne vitae tempus tantam cladem, quantam illis diebus, haud expertos fuiſſe."

o) Elmac. hiſt. Sarac. p. 219.

p) Elmac. hiſt. Sarac. p. 221.

q) cf. Elmac. p. 222 et Bar Hebraei chron. Syriac. p. 192.

r) e. g. tam Elmacin, quam Abulfarag, vna cum Abulfeda, Naſereddaulam Niſibinam fugiſſe, tradunt.

s) l. c. "anno 347 Arabum, cum Naſereddaula, Emir Mauſelae, tributum, quin mitteret Bagdadum, retinuiſſet, contra cum profectus eſt."

men, Nasereddaulam, vix grauiter a Moezeddaula castigatum, iam nouum contra eum commisisse delictum, mihi certe non placet. Decem annis peractis omnia sunt verisimiliora.

Moezeddaula omnia nomine fratris Amadeddaulae fecit. Fuit enim Bagdadi vicarius Amadeddaulae, qui Schirazae sedem regiam habuit. Insequente anno noster illius mortem describit, dum pergit:

§. 5.

Mors Amadeddaulae.

Anno 338 *Amadeddaula Abul Hasan, Buiae filius, Schirazae secundo Dschamado decessit. Morbus eius fuit vlcus renum, quod in dies crescens totum corpus corrumpebat. Amadeddaulae haud mascula proles fuit. Cum igitur, se diem supremum obire, sentiret, ad fratrem Rocneddaulam, vt eius filium, Adadeddaulam Fana Chosru t), quem possessorem imperii sui haeredemque ipsius regni in Perside constitueret, ab eo peteret, misit. Quod iam ante eius mortem eo anno fiebat. Adadeddaula ad patruum Amadeddaulam, qui viuus adhuc suum imperium in eum transferebat, suisque, at Adadeddaulae parerent, imperabat, sese contulit.*

Abulfaragius *u*), qui ea omnia iisdem fere verbis, vt Abulfeda, enarrat, solemnis Adadeddaulae creationis in Amadeddaulae locum adiecit descriptionem. Elmacin, Adadeddaulam, viuente adhuc eius patruo Amadeddaula, ab eo ipso successorem et potestatis haeredem constitutum fuisse, negat, sed potius demum post patrui mortem haereditatem a Chalifa accepisse, perhibet. Hoc nullus alius scriptor tradit. Ipsa Elmacini *v*) verba subiicere mihi liceat:

---

t) Integrum eius nomen fuit عضد الدولة ابي شجاع فنا خسرو. Natus est Isfahanae a. 324 v. Abulfed. p. 400.

u) Abulfarag. hist. dyn. p. 312 "cum ad eum veniret, eum in suo palatio in solio sedere iussit. Ipse deinde ante eum sese constitit, populoque, vt ei parreret, imperauit. Magnus et celeber fuit ille dies!"

v) Erpenius p. 221 et 222 vertit ita haec verba "cumque obiisset, scripsit Motius lillah ad filium fratris eius Imperatorem Abusjuajaüm Adadeddaulam; qui cum diutius paulo moraretur, dedit Imperatori Rocneddaulae epistolam, in qua eum nominauit Adadeddaulam, et haereditare iussit omnia ea regna, quae possederat Amadudaula." Secundum hanc versionem Chalifa duas litteras ad Adadeddaulam misisset. Primum hic non venisset, sed secundis demum, blandis litteris, per

ولما توفي كتب المصيع لله الي ابن اخيه الامير عضد الدوله ابي شجاع فتاخر واتي الامير ركن الدولة كتابا لقبه فيه عضد الدولة وورثه ما كان بيد عماد الدولة من الممالك h. e. *Mortuo Amadeddaula Motia lillah ad fratris eius filium, Emirum Adadeddaulam Abu Schoodſchaam (in vitam priuatam ſeſe receperat) litteras dedit. Rocneddaula afferebat eas ad illum, in quibus eum (Chalifa) Adadeddaulam appellabat eumque omnium terrarum, quae ſub Amadeddaulae poteſtate fuerant, haeredem declarauit.* Quod mihi displicere, non nego. Ridicule certe eſt, Chalifam, cuius poteſtas nunc arctiſſimis conſtricta fuit vinculis, arbitrum in rebus Amadeddaulae fuiſſe hereditariis.

Pergit noſter:

Mortuo Amadeddaula, filius fratris, Adadeddaula, in Perſide quidem manſit, ſed exercitus ei obedientiam detrectauit. Veniebat igitur eius pater Rocneddaula ab vrbe Raia et Adadeddaulae imperium firmabat. Simulac Rocneddaula Schirazam venerat, Iſtacharae x) fratris ſui ſepulcrum viſebat. Ingrediebatur nudis pedibus brachiisque, et milites pari

---

Rocneddaulam ipſum allatis, aduocatus, Chalifae voluntati obtemperaſſet. At mihi certe non liquet, cur Adadeddaula, a Chalifa, vt patrui mortui haereditatem acciperet, inuitatus, diu moratus fuiſſet. Quo modo porro verba verſionis "qui cum diutius paulo moraretur etc." ſenſui accommodari poſſunt? Num Adadeddaula in primis, a Chalifa acceptis litteris alia, quam ea, Amadeddaulae patrimonium pertinentia, legere potuiſſet? Huius obſcuri verborum ſenſus praeſertim Erpenii verſio verbi فتاخر cauſa eſt. Reddit enim illud *cum diutius moraretur;* ſed اخر in V ſignificat quoque: *ſeſe retroceſſit.* Pronunciandum autem eſt Teſchdido فتاخر et, vt puto, ad Adadeddaulae vsque ad hoc tempus vitam priuate actam referendum. Ante كتاب ſupple ب ſed اتي ſequente ب *venire cum aliqua re* eſt, vt ſaepiſſime, *afferre aliquam rem.*

x) Iſtachar vrbs antiquiſſima, ad prouinciam Fars nunc adnumerata, ruinis ibi conſpectis celeberrima eſt. Vrbs ei loco, quo quondam Perſepolis cernebatur, ſuperſtructa eſt. Scribit de ea Abulfeda: من اقدم مدن فارس وبها كان سرير الملك في القديم وبها اثار عظيمه من الابنية حتي يقال انها من عمل الجن h. e. "eſt ex antiquiſſimis Perſidis vrbibus, fuitque in ea olim imperii ſedes, ac ſuperſunt ibi rudera eximia ſtructurarum, adeo vt freatur vulgo daemonum eſſe opus." Cf. Golium in not. ad Alfergan. p. 113.

modo vna cum eo. Tres dies apud ſepulcrum commorabatur, donec duces primatesque eum, vt in vrbem rediret, rogabant. Tum rediit.

Hanc ſanctam Rocneddaulae erga defunctum fratrem reuerentiam nullus alius ſcriptor refert.

Amadeddaula Emir al Omrah fuerat: nunc ipſi ſuccedebat frater Rocneddaula. Nam Moezeddaula quidem in Iraca regnabat, ſed quaſi tantummodo fratrum vicarius fuit.

Eadem Elmacin quoque tradit *y*). Eo autore Amadeddaulae vitae tempus, quod Abulfeda non determinat, quinquaginta et ſeptem annos, imperii autem ſexdecim durabat.

§. 6.

Anno 339 Vezirus Moezeddaula Mohamed Saimarita obiit. Tum Moezeddaula Abu Mohammedem Al Haſſanum Mohallabitam creabat.

Praeclarus fuit ille Vezirus, qui ſtatim ab initio muneris arte bellum gerendi Moezeddaulae commoda parabat. *Nam*, pergit Abulfeda: *Anno 341* (vsque ad hunc annum autor nihil ad nos pertinens refert) *Ioſeph, Vadſchihi filius, Amanae z) princeps, terra marique Basram adortus, eam obſedit. Carmatitae autem eum adiuuabant ſuisque eius exercitum augebant. Subſtitere hoc loco aliquot dies; tum autem Mohallabita, Moezeddaulae Vezirus, copiis eos pepulit. Hinc reverſi ſunt.*

§. 7.

Anno 343 Moezeddaula Sebecdekinum (سبكدكين) *cum exercitu, vt vrbem Scheharzur* (شهرزور) *a) expugnaret, miſit. Sed rediit, nec eam expugnauerat.*

Vsque ad annum 350 Moezeddaulae Abulfeda mentionem non fecit. Caeteri quoque ſcriptores, expeditione illa, quam a. 347 contra Naſereddaulam ſuſcepit, excepta, de eo nihil referunt. Plu-

---

y) Elmac. hiſt. Sarac. p. 221.

z) v. Golium in nat. ad Alfergan. p. 80.

a) Reiskius in not. hiſt. de ea: "quae vrbs tum ad Naſereddaulam Hamdanicum pertinebat, inter quem et Buidas continuae inimicitiae intercedebant." Eam Naſereddaulae nunc ſubiectam fuiſſe, coniiciendum quidem eſt; ſed apud nullum ſcriptorem legitur. Abulfed. T. I. p. 482 quoque eiusdem mentionem facit, et p. 484 شهروز eam appellat.

rima verba de Seifeddaulae, fratris Nasereddaulae, bellis, his annis contra Romanos modo fausstis, modo infaustis auspiciis gestis, faciunt. Ex hoc silentio apparere videtur, Moezeddaulam libere magis magisque suam auctoritatem auxisse et magnificasse, dum Chalifae dignitas ita diminuta erat, vt ne eius nomen quidem a scriptoribus commemoraretur. Quantus simul timor ab Emiro al Omrah fuerit, cernimus ex iis, quae iniusto modo in rebus ciuilibus instituit. Nemo enim contra eum seditionem facere, ne murmurare quidem ausus est. Exemplum eiusmodi iniustitiae enarrat Abulfeda ad annum 350 p. 472.

Eo anno Bagdadi potestate iudicandi Abul Abas Abdalla ducentis millibus drachmarum in singulum annum potitus est. Tunc primum vendebatur iudicandi potestas Bagdadi. Hoc fiebat diebus Moezeddaulae, filii Buiae, nec antea auditum erat. Postea quoque munera maioris momenti Bagdadi redemta sunt.

Sed Moezeddaula artem quoque sciebat, corrigendi ea, quae in populum deliquerat. Cernitur hoc e. g. in eo, quod noster nunc refert:

Anno 351 Schiitae supra templorum portas hanc formulam iussu Moezeddaulae scripserunt: amoueat deus Moauiam, Ali Sofiani filium, et istam, quae Hasanum, quominus in aui sepulcro componeretur, prohibuit, et istum, qui Abu Darrum Gofaritam in exilium misit, et istum, qui filium Abasi e numero candidatorum Chalifatus exclusit. Noctu quidam haec delebant. Vezirus autem Mohallalita Moezeddaulae suasit, vt in deleti locum haec scriberet: condemnet deus eos, qui legati Dei propinquos male tractabant; nomen Moaviae solius commemoraret. Quae fecit.

Herbelot *b)* paulo alio modo formulam repetit et ea quoque, quae illa effecit, aliter enarrat *c)*.

---

b) Herbelot. T. II. p. 461. "Dieu a maudit (c'est-à-dire, Dieu maudisse) Moavie, fils d'Abou Sofian et celuy qui a ôté la terre de Fidek aux héritiers de Fathime (Fille de Mahomet et femme d'Ali) et celui qui a empêché que l'on enterrât Hasan, fils d'Ali, auprès de Mahomet son grand-père, et celui qui a empêché qu'Abbas ne fût mis au nombre de ceux qu'Omar avoit marquez et designez pour être les légitimes prétendans au Khalifat, et que Dieu veuille combler tous les Habitans de cette Ville de paix (c'est Bagdet) d'armées et de graces".

c) "Moèzeddaulat ayant donc fait graver, comme l'on a déja dit, cette excommunication, qui n'étoit fulminée auparavant que de vive voix,

Anno 352 Mohallabita Abu Mohammed, Vezirus, postquam tredecim annos et tres menses munere functus fuerat, diem supremum obiit. Fuit nobilis, prudens litterisque excultus vir.

Illius Veziri consiliis, sicut certe ex exemplo praecedente anno a nostro commemorato apparet, aures praebuisse videtur. Immo, nisi vir ille prudens iam e medio sublatus fuisset, Emir al Omrah ea, quae Abulfeda nunc nobis tradit, fortasse haud fecisset. Hac enim re periculo, vt seditionem in vrbe excitaret, sese exponere coactus est. Sed narrat Abulfeda:

Eodem anno decimo die mensis Moharrami Moezeddaula hominibus, vt, tabernis clausis, dum feminae et passis crinibus, et vultu atrato, et vestibus laceratis genas plangentes prodirent, in Hosaini, filii Alii memoriam luctum ostenderent, imperauit. Quae quidem fecere mulieres, nec Sunitae ob Schiitaram, quibuscum ipse fuit Soltan, multitudinem prohibere potuerunt.

§. 8.

Anno 353 Moezeddaula, castris motis, Mausela et Nisibina, postquam Nasereddaula, in cuius manibus vrbes erant, in fugam se dederat, potitus est. Attamen deinde pax inter eos conuenit, et quidem ea conditione, vt Nasereddaula Mauselam pecuniae summa redimeret eoque modo Moezeddaulae satisfaceret. Quo facto Moezeddaula Bagdadum reuersus est.

Hanc renouatam contra Mauselam expeditionem nullus alius scriptor refert. Expeditiones Mauselenses, vt ita dicam, haud distincte et clare descriptae atque enumeratae sunt.

§. 9.

Anno 356 Moezeddaula Vasetam exiit, atque exercitum, vt Omranum d), Schahini filium, Batihae e) principem, bello peteret, misit. Ipse

---

il se trouva des gens assez hardis dans Bagdet, pour l'effacer et mettre en sa place les paroles suivantes: *Ladn allah aldholemin ledl Mohammed*, c'est à-dire, Dieu maudisse ceux qui font violence aux personnes qui sont issues de la Maison du Prophete, ce qui étoit un très-sanglant reproche au Sultan, qui avoit envahy l'autorité du Khalife et s'étoit rendu Maitre de sa personne."

d) Omran, in vrbe Dschamada (الجامدة) natus, propter delictum, quod iuuenili aetate commiserat, in Bathiam, vbi eius victus in piscibus auibusque aquaticis constabat, fugit. Mox turbam piscatorum et latronum ad se adsciscere, in collibus, qui ex palude sese efferebant, castella aedificare, soloque suo nomine terrorem pauuoremque diffun-

in via diarrhaea corripitur. Cum malum crescceret, Bagdadum abibat. Exercitum autem proeliantem contra Omranum, Schahini filium, reliquit. Cum, Bagdadum reuersus, mortem haud procul abesse, sentiret, suum filium Bochteiarum f) successorem destinabat eique cognomen Azeddaulae (عز الدولة) *dabat.*

Elmacino autore g) Bochteiar haud a patre ipso, sed a Chalifa, qui eum quoque Azeddaulam, i. e. robur regiae appellabat, Emir al Omrah creatus fuerat. Abulfaragius *h*) paucis tantummodo verbis Moezeddaulae mortis mentionem fecit.

Moezeddaula in bono collocabat immensas diuitias, dum seruis libertatem donabat eoque modo poenitentiam ac pietatem ostendebat. Decessit Bagdadi tertio et decimo secundi Rabiae i. e. quarti mensis, morbo diarrhaeae.

Elmacin appellat eum fortem, audacem, animosum constantemque principem, simulque imprudentem et iniustum eum vituperat. Attamen (adiecit ille scriptor) longa experientia edoctus secundisque rebus excultus eo venit, vt summam metam, quam ante ipsum nullus alius praeter Chalifam attigerat, contingeret.

Sepultus est in vico straminis i), in Coraischitarum sepulcris. Illius Emiratus viginti et vnum annos vndecimque menses durauerat. Moezed-

---

dere. Iam Moezeddaula copias, vt eum e medio tollerent, miserat; sed frustra. Ipse igitur castra nunc contra eum mouebat; v. Abulfed. p. 544 et adnot. hist. quam Reiskius de Dschameda fecit p. 782.

e) البطيحة seu *lacus*, sunt, vt ait Al Lobab, locus inter Waseth et al Basrah, vbi sunt permulti pagi collecti in media aqua. Abulfed. geogr. p. 256.

f) Bochteiar vox persica, quae significat; "felix" v. Herbelot p. 305 "Azzeddaulat ou Ezzeddoulat. C'est le surnom du fils de Moezeddoulat, fils de Buiah, dont le nom Persien était Baktiar, qui signifie Heureux."

g) Elmacini hist. Sarac. p. 225 et 226 Abulfarag. hist. dyn. p. 314 et chron. syriac. p. 199. Deguignes p. 408; Herbelot p. 640.

h) Abulfarag. hist. dyn. p. 314.

i) cum infra ad ann. 466 T. III. p. 232 occurrat باب التبن i. e. vicus ficuum, et Reiskius hoc cuiusdam vici Bagdadi nomen semel adhuc apud Ebn Cotaibam inuenerit, hoc quoque loco التبن in التبن mutare vult; sed mutationis ratio mihi non satis sufficit. Caeterum nihil refert. Cf. adnot. hist. 371 et 372. p. 775.

daula defuncto, eius filius Azeddaula Bochteiar Emiratum sibi confirmauit k). Exercitum, pace cum Omrano facta, Bagdadum redire iussit l).

De bello illo contra Omranum, quod, vt enarrat Abulfeda, paulo ante mortem inceperat Moezeddaula, nullus alius scriptor aliquid perhibet.

Moezeddaula (adiecit Abulfeda,) *altera manu carebat, quae, vt fertur, ei in Kermana pugnanti detruncata fuerat.*

Vt vult Abulfaragius *m*), haud Moezeddaula, sed Azeddaula altera manu carebat.

Praeterea Abulfeda inuentionem Moezeddaulae, qua fratrem Rocneddaulam, cuius vicarius, vt iam diximus, fuit, celerrime de rebus Bagdadi factis certiorem faceret, commemorauit. Pergit:

Moezeddaula ille fuit, qui Soat (السعاة) *i. e. cursores, qui fratri Rocneddaulae celerrime de ipsius conditione nuncios ferrent, instituit. Excellebant tum temporis quidam Fadl et Marusch. Illi omnes cursores superabant, dum vnusquisque eorum quadraginta aliquotque parasangas per*

---

k) Elmacini p. 226 verba واستقل بالامور vertit Erpenius: "ipsi autem diminuta fuit rerum administratio." Sed قَلَّ in X est: *sustulit in humeros, portauitque aliquid pec. rerum imperium.* Nos: *"er übernahm die Herrschaft"*, cf. Willmeti lex. arab. p. 615.

l) Bochteiaro nunc exercitus, vt imperium firmaret, necessarius Bagdadi fuit.

m) cf. Abulfarag. hist. dynast. p. 314 vbi legitur وكانت احدي يد عز الدولة مقطوعة i. e. "abscisa erat altera manus Azeddaulae." Cum autem p. 316 legatur: وفي امارة الاقطع معز الدولة احمد بن بويه i. e. "regnante Al Acta (i. e. manu truncata) Moezeddaula Ahmed, filio Buiae etc." illo quoque loco pag. 314 معز الدولة legendum esse putarunt et Pocockium, (vers. lat. p. 208) qui p. 316, ne sibimet ipsi repugnet Abulfaragius, ابن ante معز الدولة inseri vult, vituperauere; cf. Historiam vniuersalem part. 20 pag. 382 not. G. Sed mihi videtur, Abulfaragium reuera Azeddaulam الاقطع nec Moezeddaulam (quo iure meritoque, hic non quaeritur) ita appellari voluisse. Nam 1) si contextum illius loci p. 314 perspicis, inepte fere tibi videbitur, statim post primo Azeddaulae factam mentionem Moezeddaulam denuo commemoratum fuisse. 2) Inprimis p. 316 dicit idem Abulfaragius: "regnante Al Acta floruisse celeberrimum illum medicum Thabetum, Senani filium": ille autem demum ad ann. 363, quo ergo regnabat Azeddaula, commemoratur; cf. Abulfed. p. 518 et 526.

diem currebat. Salſe quaſi et iocoſe addit noſter: *illi viciſſim alter alteri ſuccenſuere: alter enim curſor fuit Sunnita, alter Schiita.*

§. 10.

Bochteiar Emir al Omrah.

Bochteiar, poſtquam imperium acceperat, male ſeſe geſſit. Nam ludis voluptatibusque ſeſe dedere, cum feminis atque cantoribus rem habere et Dailomitarum magnates, dum eorum poſſeſſionibus inhiabat, male tractare.

Eodem, quo inceperat regnare, anno, quam in vicinos principes haberet vim, expertus eſt.

§. 11.

Naſereddaula a filio comprehenditur.

Eodem anno Naſereddaulae filius Abu Tagleb ſuum patrem comprehenſum in carcere incluſit.

Elmacino in arce Ardemano (اردمن), Abulfaragio autore in arce Covaſchai (عواشى) in vincula dabatur *n*).

Cauſa, ex qua comprehendebatur, fuit, quod filios atque familiares dure ſeuereque tractabat, omnibusque, quae cupiebant, ſeſe opponebat. Faſtidium igitur eius habebant, ita vt filius Abu Tagleb, manibus ei iniectis, vltimis primi Dſchamadi diebus eum comprehenderet, hominesque, qui ei miniſtrarent, adornaret.

Elmacin *o*) aliam cauſam, cur Abu Tagleb patrem includendum curaſſet, adiecit. Eo ſcilicet autore, ratio, qua filius erga patrem ſeſe gerebat, magis laudanda, quam vituperanda eſt. Naſereddaula (ita enarrat Elmacin) de fratris obitu (a. 356 mortuus eſt) *p*) tanto dolore abreptus fuit, vt eius animi vires admodum di-

---

n) Elmacin p. 226; Abulfarag. chron ſyriac. p. 199; cf. quoque Abulfedam p. 502, vbi legitur, Abu Taglelum, auxiliante matre Fatime, Naſereddaulam incluſiſſe. Naſereddaulam deinde per litteras filium Hamdanum, vt ſe liberaret, rogaſſe. Sed, litteris interceptis, Naſereddaulam in arcem Cavaſchi (كواشي) transportatum a. 358 ibi obiiſſe.

o) Elmacin l. c.

p) Eodem anno, quo Moezeddaula, obiit quoque Seifeddaula, frater Naſereddaulae, qui vsque ad vltimum vitae habitum continuis contra

minuerentur; de qua patris conditione filii eius triſtitia affecti erant. Sed ſi ponderamus, quomodo, vt nobis tradet Abulfeda, Abu Tagleb Bochteiarum habebat, et ſuum patrem includi iubebat, Abu Taglebi cupido ex ipſius arbitrio regnandi, cauſa rationis, qua patrem tractabat, fuiſſe videtur *q*). Ita Abulfedae narratio praeferenda eſt.

Quae cum Abu Tagleb perfeciſſet, pluribus eius fratribus agendi ratio diſplicebat.

Secundum Elmacinum autem Taglebi factum fratres eius probabant eique ſoli ſummum de Mauſela imperium committebant, dum ex Abulfedae narratione, vt illud conſequeretur, Bochteiari auxilium implorare cogebatur. Nam pergit ille:

Neceſſe fuit Abu Taglebo, vt Bochteiarum, vt ſe adiuuaret, blanditiis mulceret. Abu Tagleb a Bochteiaro millies et ducenties millibus drachmis terram redemit r).

Romanos bellis implicitus erat. Sed tamen extremo vitae tempore Fortuna, vt antea, ei non fauebat.

q) v. Abulfarag. in chron. ſyriac. p. 199, vbi fuſe de hac re ſcripſit.

r) Abulfeda hoc loco nimiae verborum breuitati ſtudens, non ſatis clare ſenſum explicuit. Reiskius ipſe ſenſum haud perſpicue circumſcripſiſſe mihi videtur, dum vertit: "Verum non placebat eius factum fratribus omnibus, adeoque neceſſe ipſi erat, Bochteiarum comitate et officiis mulcere, et arma eius, quantum poſſet auertere, prouinciamque millies et ducenties millibus drachmis deſtinare." —

Eadem fere tradit Abulfaragius, dum, Abu Taglebum, ſe idem tributum, quod ipſius pater, Bagdadum miſſurum eſſe, promiſiſſe, enarrat; cf. chron Syriac. p. 199 ܡܘܡܐ ܕܐܒܘ ܬܓܠܒ ܕܢܫܕܪ ܠܗ ܡܬܩܠܐ ܕܟܣܦܐ ܕܐܒܘܗܝ ܕܢܫܕܪ ܠܗ ܡܬܩܠܐ ܕܟܣܦܐ ܕܐܒܘܗܝ ܕܢܫܕܪ ܠܗ ܡܬܩܠܐ ܕܟܣܦܐ "h. e. promiſit ei Abu-Tagleb, ſe idem tributum, quod pater, ipſum quoque Bagdadum miſſurum eſſe, quo facto Azeddaula cum eo concordauit" Kirſchius in latina verſione p. 203 his verbis ſequentia quoque adſumit ܡܘܡܐ ܕܐܒܘ ܬܓܠܒ ܕܢܫܕܪ ܠܗ ܡܬܩܠܐ ܕܟܣܦܐ ܕܐܒܘܗܝ ܕܢܫܕܪ ܠܗ ܡܬܩܠܐ ܕܟܣܦܐ et coniuncta ita vertit: "promiſit Abu Tagleb, ſe tributum, quod pater miſerit, Bagdadum etiam miſſurum eſſe, et *ſic* conſenſit Azeddaula, Bagdadi Emira, vt loco Sipheddaulae, Emiri Halebi et Hamadae, filius eius Abul Maali Emira eſſet." At ego ſane non intelligo, cur Azeddaula Abul-Maalio eo quod Abu Tagleb tributum Bagdadum miſiſſet, vt ipſius patris mortui Seifeddaulae loco Halebi et Hamadae Emir eſſet, permiſiſſet? Si autem verba ita diſſociamus, vt ego tentaui,

§. 12.

Anno 357 *Adadeddaula, filius Rocneddaulae, filii Buiae Kermana, postquam eius princeps Ali, filius Eliasi, mortuus erat, potitus est.*

Quod quidem cum illo, apud Herbelotum aliosque *s*), qui ex fontibus Persicorum scriptorum hauriebant, enarrato, Moezeddaulam iussu fratris iam Kermanam Alio eripuisse, haud conciliari potest.

§. 13.

Eodem anno Mottaki, Chalifa quondam, in palatio suo obiit, vbi quoque sepultus est.

Vsque ad annum 361 bellum in Syria saeuierat. Iam Romani secundo Marte Antiochiam et fere Halebum iterum expugnauerant *t*), ne multa totam Syriae oram et regiones Euphrati adiacentes in potestatem suam redegerant, dum Bagdadenses tranquille et placide agebant. Eo autem anno Bagdad quoque quodam modo petiebatur, et seditiones motusque excitabantur. Narrat Abulfeda:

§. 14.

Anno 361 *Romani Dschesiram, Roham et Nisibinam inuadebant, ibique rapinis caedibusque saeuiebant; Moslemi igitur auxilium implorantes Bagdadum confugiebant.*

Elmacin et Abulfaragius *u*) hanc Nisibinae expugnationem in sequentem demum annum 362 transferunt, dum Abulfeda, inuasionem, quam eo anno Domesticus in Maiafarakinam *v*) fecit, plane aliam, quam antecedente anno factam, fuisse expeditionem,

---

Abulfaragius quoque cum Abulfeda, Abu Taglebum terrae possessionem pecuniae summa ab Azeddaula redemisse, egregie consentit."

s) cf. Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 639; Teixeir. p. 270 et locum, supra a nobis citatum, et Ommiam Iah. ibidem cit.

t) Abulfed. ad ann. 359 p. 504; Abulf. dyn. ad ann. 357 p. 314 et eundem ad ann. 359 p. 261.

u) Elmacin. p. 227 Abulfarag. chron. syriac. p. 202 et 203; dyn. hist. p. 315.

v) Maiafarakin, iuxta alios Amid metropolis fuit eius Dschesirae vel Mesopotamiae partis, quae Diar Becre appellabatur. Apud Zonoran occurrit eius nomen μαρτυροπολις cf. Gol. p. 233.

velle videtur. Forte duae Romanorum incurſiones in vnam eandemque contrahi poſſunt, ſi ponimus, bellum ſub finem 361 incepiſſe, haud tamen diremtum in annum 362 tranſiiſſe, quo Domeſticum fuiſſe captum. Sed opinio tantummodo eſt. Conferamus tamen ſcriptorum enarrationes de hac re, quaſi vna eademque:

Tumultuari populus magnamque ſeditionem excitare. Aduocabant Bochteiarum, qui forte venabatur, vt auxilio veniret. Se in pugnam exceſſurum eſſe, iis promiſit. Tum Bochteiar ad Chaliſam, vt ab eo pecuniam peteret, miſit. Sed Chaliſa reſpondebat: nil niſi Chotba mihi eſt, et, ſi vultis, ipſe recedo. Cum autem Bochteiar minaretur, Chaliſa ſupellectilem aliasque res vendebat, ita vt Bochteiaro quadraginta millia drachmarum mittere poſſet.

Eandem Bagdadi ſeditionem Abulfaragius *x*) in animo habuiſſe videtur, dum haec refert: *eo anno (362) populus Bagdadi, cum expugnationem Niſibinae (نصيبين) caedesque ibi factas accepiſſet, feruida abreptus ira, magna ſeditione contra Chaliſam Motiam excitata, eum, quod bello contra Arabes geſto ſeſe ſubtraxiſſet, proteruis vexabant ludibriis, quin immo in eius palatium et aulicos ſagittas iaculabantur. Quidam nobilium ad Emirum Azeddaulam, qui Cufam (كوفة) ſeſe contulerat, profecti, eum, vt exercitum contra Romanos mitteret, adhortati ſunt.*

Eo modo res ſine fraude Emiri al Omrah relata eſt. Haud ita ſecundum Abulfedae enarrationem, inprimis ſi eam nunc continuamus:

Bochteiar, pecunia a Chaliſa accepta, eam in ſuas neceſſitates erogavit. Fama de pugna non amplius audita eſt. Diuulgabatur autem inter homines, Chaliſam multatum fuiſſe.

Profecto exemplum euidentiſſimum delapſae penitus Chaliſae auctoritatis! — Abulfeda igitur autore Bochteiar Niſibinenſibus, qui eum aduocauerant, auxilium haud tulit. Elmacin *y*) vero, Emirum al Omrah magnum exercitum contra Romanos miſiſſe, tradit. Romani (addit idem ſcriptor) fuſi multos captos, in quibus quoque Domeſticus fuit, Arabibus remittere coacti ſunt. Domeſticus

x) chron. Syriac. pag. 203.

y) Elmac. l. c.

autem vsque ad mortem secundo Dschamado a. 363 captus mansit. At praesertim captiuitas Domestici nec cum Abulfedae, nec cum Abulfaragii relatione conciliari potest. Nam vterque scriptor perhibet, Domesticum ab Abu Taglebo, qui Nisilinesibus auxilio venisset, captum fuisse. Pergit enim Abulfeda:

Anno 362 Domesticus Maiafarekinam profectus, praedabatur, et Moslemis multa incommoda ferebat. Abu Tagleb, Nasereddaulae filius, fratrem Hebatallam cum exercitu contra Domesticum misit. Romanis victis Domesticus ipse captus est et apud Abu Taglebum in custodiis mansit, et morbo implicito hic ipse medicinam, quae tamen sine vi erat, dedit. Domesticus in vinculis obiit.

Abulfaragius z) alias quoque res eidem narrationi adiecit.

§. 15.

Bochteiar, dum multorum animos a se abalienabat, propius propiusque ad perniciem accessit. Admiratio, quam populo, Vezirum ex humili loco natum creans, mouerat, infestos potius, quam amore ei addictos animos ostendisse mihi videtur. Pergit enim Abulfeda:

Eodem anno (362) Azeddaula Bochteiar Mohammedem, Bakihi filium, Vezirum creauit. De qua creatione, quia ille vilis ordinis, Ahvabae incola, oriundus erat, omnium animi admiratione impleti sunt. Pater enim fuit agricola.

Eodem anno inter Bochteiarum eiusque duces Dailomitici et Turcici generis intercedebant inimicitiae.

Sed diffidia illa praelusiones tantummodo, vt ita dicam, maioris momenti Bagdadi tumultus insequente anno fuere. Abulfeda de eo ita enarrat:

§. 16.

Motiae abdicatio eiusque filii Taiae successio.

Anno 363 Bochteiaro Ahvazam profecto, eo inuito Soboctekin (سبكتكين) Bagdadi remanserat. Emir al Omrah igitur illos Turcarum, qui cum eo erant, interfici iussit, eaque, quae Soboctekin possidebat,

---

z) Abulfarag. hist. dyn. p. 315.

ipsius iuris fecit. Tum autem vicissim Soboctekin una cum iis, qui cum eo Bagdadi remanserant, illius aduersarius, Bochteiari palatium expilans, palam prodiit.

Ille tumultus Soboctekini ab Elmacino *a*) paulo secus, quam ab Abulfeda, sed, vt mihi videtur, verisimilius narratur. Illo enim autore Soboctekin Ahvazae versatus erat, vbi, a vili Moezeddaulae ianitore *b*) ad summum vrbis praefectum euectus, Bochteiari, qui tunc forte quoque Ahvazae erat, inuidiam sibi contraxerat. Cum igitur Emir al Omrah, Ahvaza relicta, Vasetam sese contulisset, Soboctekin, tempore, quo ille Bagdado aberat, vsus, tumultum in ea vrbe fecit.

Iuxta Abulfedam ergo Bochteiar, Elmacinum vero Soboctekin primum inuidiosum animum detexit.

Abulfaragius *c*) nihil fere de hac re refert, dum seditionem, a quodam procerum, cuius nomen mutilitatum *Soboctegan* pronunciat, conflatam, paucis tantummodo verbis designat. Idem scriptor, Taiam Chalifam illi, vt gratias, quod sibi imperium conciliaverat, ei ageret, honoris causa cognomen Nazireddaulae indidisse, perhibet. Sed quomodo Soboctekin eo venerit, vt Taiae Chalifatum conciliare posset, ille haud tradidit. In describendo autem tumultu ipso cum Elmacino (Abulfeda illum tantum perstringit) in eo consentit, vt duae partes, et Turcae Sunitaeque (سنيه) Soboctekino, et Dailomitae Schiitaeque (شيعه) Azeddaula duce, inuicem in se saeuirent; partem tandem Azeddaulae inferiorem euasisse, ille monet.

Cum prudens Soboctekin, Motiae vires morbo (iam diu ille linguae membrorumque debilitatione, quam tamen dissimulare studebat, laborabat) attenuatas esse, intelligeret, ei, vt imperium in filii Taiae manibus deponeret, suasit. Motia consilio aures dedit.

Eadem quoque narrat Abulfaragius. Elmacin tamen, Motiam sua sponte Chalifatu sese abdicasse, ait. Sed illorum duorum scrip-

---

a) Elmac. hist. sarac. p. 228.

b) v. Abulfed. p. 463.

c) Bar. Hebraei chron. Syriac. p. 203.

torum narrationem esse praeferendam, puto. Dum enim nondum Bagdadi silebant tumultus, Chalifae animum sibi addictum reddere, ad Soboctekinum magnopere referebat. Speciem igitur curae Motiae sanitatis prae se ferens, ei, vt imperium filio demandaret, persuasit. Taia enim, nouus Chalifa, Soboctekinum, tanquam suae felicitatis auctorem colere atque diligere debebat. Herbelot *d*), qui hic ex Khondemiro hausit, nihil de Bochteiari et Soboctekini, cuius ne nomen quidem commemorauit, diffidiis refert; sed eo autore primo demum Taiae imperii tempore (quomodo ad Chalifatum ille peruenisset, haud retulit) simultates inter eum et Turcarum milites Bagdadi fiebant, quibus Chalifa Vasetam fugere et Adad-eddaulam a Persia auxilio aduocare coactus erat.

Ita Motia dignitate sese abdicauit in Mosaddali gratiam dimidio mensis Caadat h. a. Chalifatus durauerat per viginti et vnum annos, et quinque menses, paucis diebus deficientibus. Succedebat ei Taia lillah, vigesimus et quartus Abbasidanum, cuius nomen erat Abdal Carim.

§. 17.

His, quae memorauimus, inter Bochteiarum, Soboctekinum Turcasque actis, Soboctekin vna cum Turcis, dum Chalisam Taiam et Motiam (qui quidem imperio sese abdicauerat) secum trahebat, Vasetam, vt ibi a Bochteiaro vindictam sumeret, sese contulit.

Elmacino autore *e*) hoc demum in sequentem annum incidebat.

Motia autem in vrbe Dair - al - Acul f) (دير العقول) *morte opprimebatur, dum Soboctekin quoque, in morbum implicitus, vitam ibi exhalabat. Vtriusque corpora Bagdadum transportata sunt.*

---

d) Herbelot. bibl. orient. T. III. p. 472 sub voce Thaia Billah. "La première année de son regne, la Milice Turquesque de Bagdet eut des différends avec Ezzaldoulat, Prince de la Race des Bouides, qui avait toute l'autorité du Khalife en main. Ces gens s'étant mutinez contre luy, il fut contraint de sortir de la Ville et de se retirer à Vaseth, d'où il envoga demander du secours à Adhad aldoulat son Cousin, qui regnoit en Perse."

e) Elmac. hist. Sarac. p. 232.

f) Dair - al - Acul, vt patet ex hoc loco, sita erat inter Bagdadum et Vasetam. Abulfeda eam decem parasangis a Modaina, seu Seleucia distantem, a Cufa tamen diuersam esse, docet, dum Bar Hebraeus eam cum illa eundem esse, contendit.

Elmacin idem referens, accuratius addit, Soboctekinum vigesimo et secundo die mensis Moharramae, postquam eius Emiratus duos menses et tredecim dies durasset, laxo ventre mortuum esse. Attamen, illo mortuo, haudquaquam tumultus silebat, sed potius, illum magis ex ardenti, quo Dailomitae et Turcae se invicem persequebantur, odio, quam ex sola inter Bochteiarum et Soboctekinum inimicitia editum fuisse, cerni poterat. Nam pergit Abulfeda:

Turcae sibi imperatorem praeficiebant Aftekinum (افتكين) g), *ex nobilissima gente natum; quo facto Vasetam, vbi Bochteiar versabatur, profecti, haud procul ab vrbe castra posuere.*

Elmacino autore Azeddaula iam prius vrbem muniuerat.

Pugnabatur inter Turcas et Bochteiarum quinquaginta fere dies. Idem tempus definit quoque Elmacin.

Cum victoria penes Turcas esset, Bochteiar celerrime patrueli suo Adadeddaulae de propere sibi ferendo auxilio litteras his verbis misit: si aliter fieri nequit, quin deuorer: tu certe me deuora; nisi iuuat, assequere me, antequam me dilacerent. Adaddedaula ad eum profectus est.

Elmacin, Bochteiarum non Adaddedaulam tantum, vt se ab obsidione liberaret, in auxilium aduocasse, sed ad Abu Taglebum quoque, Nasereddaulae filium, vt interea Bagdado potiretur, missse, tradit. Reuera ille, Bagdado occupata, castra ibi locauit. Sed Chalifa Thaia lillah, mox ab vrbe Vaseta aduolans, Abu Taglebum expulit.

Vt tradit Herbelot h) ex Khondemiro, Adadeddaula, precibus Bochteiari aduocatus, non statim aduenit. Emir al Omrah igitur, a Turcis identidem victus, in Iracam Persicam fugere ibique cum copiis patruelis sui auxiliaribus sese coniungere coactus est.

---

g) Elmac. l. c. appellat eum Aftekinum Scharabaenum (افتكين الشرابي).

h) l. c. "cependant les Turcs avec le Khalife à leur tête le poursuivirent, et lui livrerent plusieurs combats, dont ils remporterent toûjours l'avantage; de sorte qu'Ezzaldoulat fut obligé de passer dans l'Iraque Persienne, pour joindre le secours que son Cousin luy amenoit en personne. — Soboctekini et Aftekini Herbelot non mentionem fecit.

Anno 364 Adadeddaula, cum Bochteiari litteras accepisset, Persicis cum militibus i) castra mouit. Cum haud procul a Vaseta esset, Aftekin et Turcae Bagdadum sese recipiebant. Adadeddaula a parte orientali, Bochteiar vero, illius iussu, a parte occidentali Bagdadum conuersus est. Tum Turcae Bagdado excessere, et, manibus consertis cum Adadeddaula, in fugam coniecti sunt. Pugna decimo et quarto die primi Dschamadi facta est.

Elmacin *k*) pugnam Adadeddaulae contra Turcas non distincte atque clare descripsit. Eo enim autore Adadeddaula quoque Bochteiario auxilio venit et pari modo Vasetae orientalem partem occupat, dum Bochteiar in occidentali castra locat. Sed quomodo Adadeddaula vrbem intrare poterat, cum Turcae eam obsiderent? Illi siue coacti, siue sua sponte sese recipere debebant: sed Elmacino autore nec hoc nec illud fiebat. Abulfeda clarius adiecit, Turcas, appropinquante Buida, Bagdadum sese recepisse. Tum, castris motis, (ita pergit Elmacin) Adadeddaula atque Bochteiar ad vrbem Dair-al-Acul cum Turcis proelium committebant. Turcae victi eorumque castra a victoris Adadeddaulae militibus direpta sunt. *Tum*, pergit Abulfeda, *Adadeddaula Bagdadum intrauit.*

Elmacino autore Adadeddaula Turcarum, qui fusi Bagdadum confugerant, vestigia pressit.

Adadeddaula Chalifam, quem Turcae secum traxerant, Bagdadum reduxit. Ita Chalifa octauo die mensis septimi huius anni fluuium transgressus Bagdadum iniit.

Ex Elmacini narratione Chalifa iam prius, quam Adadeddaula, Bagdadum intrauerat. Illo enim autore, vt supra diximus, Taia, Abu Taglebo ex vrbe expulso, ibi manserat. Idem scriptor addit, Adadeddaulam, humiliter demissum, Chalifae manus osculatum fuisse, quae Buidae sese gerendi ratio nec cum Abulfedae narratione, illum Chalifam in vrbem reduxisse, nec cum illius ingenio conciliari potest. Multo aliter enarrat rem Herbelot ex Khondemiro *l*).

---

i) Marigny in hist. Arab. tradit, Adadeddaulam cum militibus Aegyptiis adueniſſe. Vnde hoc sumserit, nescio. Certe non ex Herbeloto.

k) Elmac. hist. Sarac. l. c.

l) Herbelot. bibl. orient. l. c.

Eo enim autore Turcae, ne proelium quidem contra coniunctos Adadeddaulae et Azeddaulae milites committere aufi, ſtatim Bagdadum ſeſe recepere. Sed mox, cum Buidae vrbem expugnare geſtirent, caſtris motis, Chalifam inopem in vrbe relinquebant, qui haud longe reſiſtens, portas aperire coactus erat. Poſtquam Adadeddaula patrueli Emiri al Omrah poteſtatem confirmauerat, in Perſidem redibat; quod quidem, a Perſicis ſcriptoribus traditum, cum Arabum narratione de hac re nullo modo conciliari poteſt. Revertamur igitur ad Abulfedam:

§. 18.

Cum Adadeddaula Bagdadi ſedem fixiſſet, milites, ſeditione contra Bochteiarum conflata, ſtipendium depoſcebant. Sed Bochteiaro ne minimum quidem pecuniae reſtiterat. Adadeddaula Bochteiaro, vt, domo clauſa, Emiratum deponeret, quo militum animos ſibi reconciliaret, ſuaſit. Annuit Bochteiar, atque ſcribam et cubicularium demiſit. Simul Adadeddaula, Bochteiarum inualidum, nec amplius Emiratui parem, vt eum abiiceret, optare, populo indicauit. Tum Adadeddaula Bochteiarum eiusque fratres inuitatos inter conuiuia comprehendi iuſſit; quod quidem factum eſt vigeſimo die ſecundi Dſchamadi. Adadeddaula Bagdadi manſit et Chaliſae poteſtati maiorem auctoritatem comparauit, dum ipſum pretioſis opibus et multis ſupellectilibus ditauit.

De militum Bochteiari ſeditione nihil refert Elmacin. Paucis tantummodo verbis, Adadeddaulam patruelem eiusque exercitus duces comprehendi iuſſiſſe, dicit. De his omnibus Abulfaragius in chronico ſyriaco plane nihil, in hiſtoria vero dynaſtiarum vix aliquid obſcuriſſimis verbis retulit *m*). Sed pergit Abulfeda:

---

m) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 318. Ipſius verba ſunt: وفيها وصل عضد الدولة واستولي علي العراق وقبض بختيار ثم اعاد اخرجه وعاد بختيار الي مكه كما كان امير الامرا quae Pocockius ita vertit: "Eodem adueniens Adadoddaula Erako potitus eſt, et Bochteiaro manus iniecit, deinde iterum ipſum demiſit; reuerſusque eſt Bochteiar Meccam, vt ante fuerat, Imperator Imperatorum." At ſenſum verborum: *reuerſusque eſt Bochteiar Meccam, vt ante fuerat Imperator Imperatorum*, ſane non intelligo. Quid ſibi vult Mecca in hoc contextu? Nonne legi poteſt pro مكه rectius ملكه quod quidem verbum in eodem contextu apud Abulfedam p. 520 lin. 4. infra inuenies?

§. 19.

Cum Bochteiari filius, Marzaban, patrem ab Adadeddaula comprehensum esse, acciperet, ad Rocneddaulam litteras, in quibus de ista iniuria querebatur, mittebat. Rocneddaula, nuncio ad eum allato, tanto dolore incensus fuit, vt humi deiectus, cibo potuque abstineret, adeoque morbum sibi contraheret. Adadeddaulam acerbissime accusabat. Ille a Rocneddaula, per legatum, vt Bochteiarum cuidam Persidis parti praeficeret, petiit. Sed parum absuit, quiu Rocneddaula legatum interficeret. Simul Adadeddaula nuncium remisit, se, nisi illico Bochteiarum in imperium restitueret, ipsum ad eum venturum esse. Tum Adadeddaula denuo Abul Fatum, Amidi filium, ad patrem Rocneddaulam, vt eum sibi reconciliaret, misit. Sed eum quoque Rocneddaula contumeliosissime demisit.

Elmacino autore *n*), Adadeddaula ipse patrem de sua contra Bochteiarum sese gerendi ratione certiorem fecerat; sed eodem modo ei bilem commouerat. Pergit Abulfeda:

Cum Adadeddaula suum imperium patris ira labefactatum esse intelligeret, illius iussibus parere et Bochteiaro, e carcere emisso, imperium restituere, sese coactum putabat. Mense Schualo h. a. in Persidem reuersus est o).

Elmacin refert, Adadeddaulam, antequam in Persidem rediisset, Bochteiarum ad iusiurandum, eum suum vicarium in Iraca, nec ipsius, nec Rocneddaulae iussibus repugnaturum esse, adegisse. Tum quoque Taiam lillah et Adadeddaulam vicissim ius iurandum dedisse et accepisse.

---

n) Elmac. hist. Sarac. p. 232.

o) Multo aliter tractat Adadeddaula Bochteiarum ex Herbeloto, autore Khondemiro: "ces guerres étrangères étant finies, ce Sultan ait des affaires domestiques qui luy furent beaucoup plus facheuses. Car Adhadaldoulat son fils ainé, ayant depouillé son Cousin germain, nommé Azzaldoulat, fils de Moezaldoulat, troisième fils de Buiah, il en témoigna son mécontement, et fit marcher ses Troupes contre son prope fils. Le fils de son côté vint au devant du Perè, avec une armée plus forte, que la sienne, et l'obligea ainsi de retourner à Ispahan: Adhadaldoulat qui n'en vouloit pas à son Perè, ni à ses Etats, vint aussitôt le trouver et luy fit des excuses sur ce qui s'étoit passé, qui contenterent si fort le bon homme Rocneddoulat, qui avoit déja atteint l'âge de quatre-vingt ans, qu'il consentit de le retenir auprès de sa personne jus qu'à sa mort."

Nunc quidem Adadeddaula, patris voluntate coactus, in Persidem rediit, sed iam sequente anno, quo obiit eius pater Rocneddaula, denuo Bagdadum profectus est. Antequam vero historiam de repetito Adadeddaulae conatu, Emiri al Omrah potestatem Bagdadi sibi vindicandi, continuamus, vt totam Rocneddaulae vitam, e qua nunc decedit, oculis subieciamus, haud a re alienum erit. Ille enim verus fuit Emir al Omrah, dum eius filii ipsius tantummodo vicarii a scriptoribus commemorantur.

§. 20.

Rocneddaula fuit alter Buiae filius, vt supra memorauimus, eiusque verum nomen Hasan Abu Ali. Postquam eius frater magnas de Mardauidscho reportauerat victorias et totam fere Persiam ipsius ditioni subiecerat, ab eo in Cazerunam aliasque prouincias, vt tributum iis imperatum exigeret, missus est (a. 321) *p*) Anno 324 pugnabat contra Mardauidschi fratrem et successorem, Vaschmekirum, de Raia, Isfahana et Dschabalo i. e. montana regione. Eodem anno Isfahanae, quam expugnatam sedem regiam sibi elegerat, eius filius Abu Schodscha Fana Chosru, magnus Adadeddaula, natus est *q*). Per decem annos, dum maximae Bagdadi saeuiebant tempestates, apud scriptores ille non commemoratur; videtur igitur illo tempore tranquille vixisse Isfahanae. Anno 334, cum eius frater Ahmed, vt Chalifae auctoritatem restitueret, Bagdadum profectus, a Mostacfio billah honoris causa titulo *Moezeddaulae* donatus esset, ipsi quoque cognomen *Rocneddaulae* i. e. *saxi reipublicae* tribuebatur *r*). Anno 335 Raiae et Dschabali possessionem, de qua vsque ad hoc tempus cum Vaschemekiro ei dimicandum erat, confirmauit *s*); a quo quidem tempore sedem ab vrbe Isfahana Raiam transtulisse videtur. Anno 338 enim, cum Adadeddaulae, quem eius frater Amadeddaula moribundus successorem suum destinauerat, populus Schirazae obedientiam praestare recu-

p) Abulfed. T. II. p. 376.

q) Abulfed. T. II. p. 398-400.

r) Abulfed. T. II. p. 436; Elmacin. p. 217. Abulfarag. hist. dyn. 309.

s) Elmacin. hist. Sarac. p. 220.

ſaret, ab vrbe Raia Schirazam, vt filii ſolium firmius redderet, profectum eſſe, apud Abulfedam legitur. Simul in mortui fratris locum Emir al Omrah ſucceſſit *t*). Anno 351 Tabareſtanam et Dſchardſchanam cepit *u*). Tum contra Manſurem, Nubi Samanidae filium, Choraſanae principem, bellum geſſit. Haud bellum ipſum, ſed pax tantummodo ad ann. 361 a ſcriptoribus commemoratur. Secundum illius pacis conditiones Manſuri in ſingulum annum centum et quinquaginta millia denariorum pendere obſtrictus eſt. Simul propinquitatem cum Manſure iniit: ille enim Adadeddaulae filiam in matrimonium duxit *v*). Anno 364 ſeuerum patrem fuiſſe cognouimus. Anno 366 mortuus eſt. De eius morte Abulfeda haec enarrat:

§. 21.

Eo anno, menſe Moharramae, Rocneddaula Haſan, filius Buiae deceſſit et filium Adadeddaulam in regno ſuo ſucceſſorem deſtinauit. Rocneddaulae vita per ſeptuaginta, ſupremus vero Emiratus per quadraginta et quatuor annos durauerat. Illius tam religionis quam reipublicae ſtatus magnam fecit iacturam: optimae enim virtutes in eo coniunctae fuere. Filio Fachreddaulae (فخر الدولة) *Hamdanam* (همذان) *et regionem montanam, alteri vero filio Movaiededdaulae* (مويد الدولة) *Isfahanam eiusque tractum legauit. Sed eos in regnandis illis terris ſapienti eorum fratri Adadeddaulae ſubmiſit.*

---

t) Abulfed. p. 455; Elmac. p. 221 et 222; Abulfarag. hiſt. pyn. p. 312.

u) Abulfed. p. 478.

v) Abulfed. p. 512; de Manſure vide Abulfed. p. 470. — Teixeira, qui quoque cauſam belli indicat, expeditionem Rocneddaulae contra Manſarem ſuſceptam ita deſcribit. "Roknadaule Acan que las poſſeya (ſc. Hyerah et Rey) ſe puſo en campo y metié un hijo ſuyo con gente en tierras de Karaſon para divertir à Manſur: era Capitan General de Rokna daule Xamguir e qual en eſta conjuncion mario de enfermedad, dioſe ſu cargo à Abul Ocem que hallando diſpoſioion en uno yotro principe tratò de pazes que ſe effetuaſon: con condicion que Rokna daule payaria à Manſur ciento y cincuenta mil dinares de oro en cade un anno de tibuto que ſon mas de 220000 ducados y para mas firmueza de lo ucordalo entre ellos tomo Manſur por mayer à una ſobrina de Rokna daule hija de un hermano ſuyo etc.

Vt perhibet Elmacin *x*), Rocneddaula vnum iam annum ante mortem terras filiis diuiſit, quam diuiſionem accuratius, quam Abulfeda, ille ſcriptor ita definit: Rocneddaula Adadeddaulae Perſidem, Ardſchanam et Kermanam, Movaiededdaulae Raiam et Isfahanam, Fachreddaulae denique Hamdanam et Dainavaram dedit. Simul addit Elmacin, Rocneddaulam, teſtibus adhibitis, a filiis iusiurandum, vt mutuo auxilio ſeſe adiuuarent, accepiſſe.

Eandem diſtributionem refert quoque Herbelot *y*). Ommia Iahhia *z*) autore, (vt certe ex mala verſione patet) Rocneddaula iam ſtatim poſt Amadeddaulae mortem filiis terras ſuas diuiſiſſe videtur.

De tempore Emiratus Rocneddaulae conſpirant quidem caeteri ſcriptores cum Abulfeda *a*), ſed haudquaquam in definiendis vitae annis. Abulfeda enim ſeptuaginta, Elmacino, quem ſecutus eſt Deguignes, nonaginta et nouem, Perſicis denique ſcriptoribus octoginta et aliquot annos vixit. Merito eum omnes ſcriptores vno ore praeclarum hominem et principem celebrant *b*).

Nunc conuertamus nos ad Rocneddaulae filium, qui omnium patris virtutum, iuſtitia accepta, haeres fuit. Ardente enim honoris cupiditate impletus erat: ſed in ea explenda iuſtitia ſaepe violari ſolet. Attamen maximum Emirum al Omrah, immo optimum et celeberrimum, quo florebat, temporis principem eum cognoſcemus.

Reliquimus eum, cum, a patre coactus, patrueli in imperium reſtituto, in Perſidem rediret.

---

x) Elmacin. hiſt. Sarac. p. 235.

y) Herbelot. bibl. orient. T. III. p. 128.

z) Nomina ita mutilitata ſunt, vt vix recognoſcantur; cf. p. 72 et 73 "Rocneddaula poſt mortem fratris Amadeddaulae, filiis regna diuiſit. Mojddaulae Abunaſro Bojada Jezd Hiſpahan; Com Kaſchan, Nadar et Gerbuckan dedit; Rei Hamadan, Cbher, Casbin, Facreddaulae, Zengian, Savam, Avam et partem Kurdiſtan Mujaddaulae tribuit, Azadeddaulae vero minori Senakosru, Perſidem conceſſit, ſibi a patruo donatam." —

a) Elmac. p. 235, 44 a. 1. m. et 9 dies cf. Deguign. 409. Herbel. et Omm. Iah. l. c.

b) cf. Iscript. cit. et Abulfed. p. 454.

§. 22.

Adadeddaula Emir al Omrah.

Pergit Abulfeda:

Adadeddaula, mortuo Rocneddaula, in Iracam rediit. Bochteiar exceſſit, vt cum eo pugnaret, et Ahvazae bellum direxit. Cum autem maxima exercitus pars eum proderet, vsque ad Vaſetam repellebatur. Bochteiar Bagdadum rediit, dum Adadeddaula Basram circumiectumque tractum, vt eius imperium conſtitueret, ſeſe contulit. Inter haec tempus vsque ad anni finem conterebatur.

Paulo aliter rem enarrat Elmacin *c*).

Anno 367 Adadeddaulae Iracam verſus profectus Bochteiaro ita ſcripſit: ſi ex hac terra excedis, aliam, quam cupis, ea ſola excepta, tibi tribuam. Bochteiaro obtemperanti Adadeddaula pallium miſit, quo ille veſtitus, in Syriam conuerſus eſt. Quo facto Adadeddaula Bagdadum intravit. Cum ſedem ibi fixiſſet, Bochteiari Vezirum, Ebn Bakihum cruci infigi, iubebat.

Elmacin *d*), ne nimis prolixe narraret, breuius, quod, Bagdado capta, fiebat, retulit. Abulfaragius, qui vsque ad hoc tempus tacuit, idem, quod Abulfeda, tradit, dum ſimul in commemoranda Adadeddaulae gratia, ex qua Bochteiaro, vt Iracam cum alia terra commutaret, permittebat, verba *excepta Mauſela* addit *e*). Idem ſcriptor perhibet, ſtatim poſt Adadeddaulae Bagdadum introitum, pro eius ſalute preces factas et ter ante ipſius portam tympanum

---

c) Elmac. l. c.

d) Elmac. l. c.

e) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 318: cum apud alios ſcriptores legatur, (cf. Abulfed. p. 506; Abulfarag. chron. ſyriac. p. 199; Elmac. p. 126) Mauſelam tunc temporis ſub Abu-Taglebi poteſtate fuiſſe, vel Abulfaragius errauit, vel additamentum *excepta Mauſela* imputandum eſt oſtentationi Adadeddaulae, ex qua, omnes terras adeoque quoque Mauſelam, ſibi eſſe ſubiectas, dixerit; quod quidem mihi veriſimilius eſt, quia illa Adadeddaulae oſtentatio iam ex epiſtola ad Bochteiarum data apparet. Simul Abulfaragium in eadem pagina, in qua Mauſelam Abu Taglebo tribuerit, eam ditionis Adadeddaulae fuiſſe, errantem dixiſſe, haud puto. Negligentia igitur, cuius Reiskius hoc loco illum ſcriptorem accuſat, (cf. Reisk. adnot. ad hiſt. vniuerſ. quam edid. Guthrie et Gray. T. VI. P. II. p. 9.) immunis eſſe mihi ille videtur.

pulſatum fuiſſe, quem quidem honorem alii nondum *f*) eſſe tributum.

Herbelot *g*), qui hic male ex Khondemiro narrat, contra omnium caeterorum ſcriptorum relationem ſcripſit, Bochteiarum poſt ſecundum demum proelium, quod mox commemorabimus, Bagdado eſſe potitum. At Herbelot ſecundum illud proelium Adadeddaulae cum ſecundo eius conatu, Emiri al Omrah poteſtatem patrueli detrahendi, qui ei primo haud ſuccedebat, confudiſſe videtur.

Marigny *h*) cauſam belli, ex qua Adadeddaula contra Azeddaulam bellum geſſerit, ignotam eſſe, ait. Herbelot ſcilicet eam non indicauit, ex aliis vero ſcriptoribus ſatis illa apparet. Praeterea Marigny hic quaedam hiſtoriae immiſcuit, quae aliorum ſcriptorum autoritate haud comprobari poſſunt.

§. 23.

Profectus eſt cum Bochteiaro Hamdan (حمدان), *filius Naſereddaulae, qui ei cupiditatem Mauſelae occupandae mouebat, dum ei illius expugnationem tanquam rem pulchram ſimulque facilem ante oculos ponere ſtu-*

---

f) Ter repetita tympani pulſatio quidem extra Adadeddaulae aedes noua et adhuc inaudita fuit inſtitutio, ſed haudquoquam mentio nominis Emiri al Omrah in publicis precibus. Hic enim honos iam primo Emiro al Omrah tribuebatur. (cf. Elmac. p. 203; cf. quoque Reisk. adnot. ad hiſt. vniuerſ. Tom. II. P. I. p. 871 not. t) quae repugnat adnot. q) T. VI. P. II. p. 9.) Sed nouus tamen honor Adadeddaulae quoad preces tribuebatur, quem autem Abulfaragius haud clare ante oculos poſuit. Egregie emendat illum Elmacin p. 236 et 237. Dicit enim non de Adadeddaula, vt de omnibus fere aliis Emiris al Omrah: امر الخليفة الطايع لله بان يخطب الملك عضد الدولة ببغداد في خطبه الجمعه الثالثه الخطبه الطايع لله يخطب له علي المنابر ſed: quae verba recte vertit Erpenius: *praecepit Chalifa Thaia lilla, vt rex Adadeddaula tertio quoque die Veneris Bagdadi orationem pro ipſo haberet.* Hoc ſcilicet fuit inauditum quid.

g) Herbelot. bibl. oriental. T. I. p. 98. "Ce fut auprès de Tacrit, forteresse conſiderable ſituée ſur le Tigre aſſez près de Moſul, que ſe donna la ſeconde bataille, par le gain de laquelle Adhadeddoulat ſe rendit maître du Khalifat, et de la ville de Bagdet, l'an de l'Hegire 367, de I. C. 977."

h) Marigny hiſt. des Arab. T. IV. p. 77.

debat. Regnabat Mauſelam illius frater, Abu Tagleb. Cum propius Mauſelam accederet, Abu Tagleb ad eum nuncium his verbis mittebat: "ſi mihi Hamdanum tradis, armis meis cum tuis coniunctis, Adadeddaulam victum ex Iraca erigere paratus ſum." Bochteiar Hamdanum comprehenſum et vinctum fratri Abu Taglebo miſit, adeoque horrendum perfidiae exemplum dedit. Abu Tagleb autem, ipſius fratre in carcere incluſo, caſtra cum Bochteiaro coniunxit; quo facto contra Adadeddaulam mouebant.

Neque Elmacin, neque Abulfaragius iſtam Bochteiari perfidiam commemorauit. Illo autore Bochteiar ad Abu Taglebum, vt eius auxilium contra fratrem imploraret, confugit, et, vt enarrat Abulfaragius, ad Haditham Abu Tagleb cum exercitu viginti millium militum, ſed haud a Bochteiaro aduocatus, ei ſe adiunxit *i*).

Adadeddaula vero Bagdado contra eos exceſſit et ad Caſr-al-Dſchas e ditione Tacritenſi decimo et octauo die menſis Schuali h. a. concucurrere exercitus. Adadeddaula, vtroque hoſte fuſo, Bochteiarum captum interfecit.

Herbeloto autore, ille ſimul interficitur, ſimulque in arcem Perſicam deducitur *k*).

Ita Azeddaula, poſtquam ſupremum Emiratum vndecim annos geſſerat *l*), triginta et ſex annos natus, deceſſit. Elmacin appellat eum principem, cui magnae tam animi, quam corporie fuiſſent vires. Laudi tamen, quam ei tribuit, modum certnm imponendum eſſe, puto. Nam a primo ſtatim imperii initio tyrannicum, ſimulque, cum ex ſua inſolentia ſeditionem contra ſe conflaſſet, humilem timidumque animum oſtendebat. Immo, niſi Adadeddaula, qui ei animo praeualuit, perpetuum imperii timorem ei inieciſſet, multa alia crudelitatis exempla eum dediſſe, perſuaſus ſum. Si etiam eius ſeſe gerendi ratio erga foederatum Hamdanum certa eſſet, nullo modo, qui nobilis (كريم) appellaretur, dignus erat.

§. 24.

Quo facto (Bochteiaro interfecto) *Adadeddaula Mauſelam proſectus eſt; Abu Tagleb Maiafarekinam fugit. Tum Adadeddaula exerci-*

---

i) Elmac. p. 236 et Abulfarag. hiſt. dyn. p. 318.

k) Herbelot. bibl. orient. T. I. p. 98 cf. cum T. I. p. 305.

l) Elmac. p. 236; Deguignes p. 408; Herbelot 306; Omm. Iah. p. 73.

tum duce Abulvafio misit; qui cum Maiafarekinam veniret, Abu Tagleb Bedlisam (بدليس) *fugiebat. Sed exercitus Adadeddaulae eius vestigia pressit. Abu Tagleb fugiens attigit quidem Romanorum terras, sed ibi contra exercitum, qui eum assecutus fuerat, ei dimicandum fuit. Abu-Tagleb victor Adadeddaulae exercitum fugauit. Profectus est deinde Hasan Zaid, i. e. Zaidi castrum, quod nunc Chort Bert appellatur. Inde Amidam abiit, vbi mansit.*

Elmacin, Adadeddaulam sequente demum anno Mauselam cepisse, refert. Multo breuius hic, quam Abulfeda, narrat.

§. 25.

Adadeddaulae res cum Romanis.

Antequam ad sequentem annum, sub quo Abulfeda historiam belli Adadeddaulae contra Abu Taglebum continuat, transgrediamur, factum ex historia Romana, quod ad Adadeddaulam quoque pertinebat, hic inserere iuuat. Abulfeda illius non mentionem fecit, sed Abulfaragius de eo ita scripsit:

Fratribus Constantino et Basilio (ܩܣܛܢܛܝܢܘܣ ܘܒܣܝܠܝܘܣ) *imperium Romanum tenentibus, quidam nomine Vardusi* (ܒܪܕܘܣܝ). *Domesticus factus est. Qui quidem Vardus, cum, seditione contra illos facta, illarum terrarum, quas Romani Arabibus eripuerant, imperium sibi comparare vellet, fratrem suum legatum ad Adadeddaulam, vt auxilium ab eo peteret, misit. Simul Vardus, se, si Adadeddaula, vt ei imperium in Romanorum regno occidentali compararet, operam daret, per totam vitam Arabum captiuum fore, pollicitus est.*

Elmacino autore *m*), qui hic fusius enarrat, reuera Adadeddaula rebelli Romano, cuius nomen *Bardas* (بردس) appellatur, copias auxiliares miserat, sed priusquam illae cum eo se coniunxerant, ipse iam a Barda Phoca, (بردس الفقاس) quem imperator Romanus contra eum adornauerat, Maiafarekinam confugere coactus erat; quod quidem fiebat vigesimo et primo Schaabani die anni 368. Pergit Abulfaragius *n*):

m) Elmac. p. 244 et 245.

n) Abulfarag. chron. syriac. p. 205.

Basilius et Constantinus Imperatores legatum quoque ad Adadeddaulam, vt rebellis preces negligeret, misere. Adadeddaula igitur, qui prudenter quidem Imperatores, non vero rebellem, adiuuandos esse, censebat, illius fratri tamen sese propitium ostendebat, simulque, vt ei auxilium in omnibus rebus ferret, promittebat. Bardas, cum Romani Imperatores copias contra eum mitterent, fiduciae plenus ad Arabum fines paucis cum comitibus conuersus, ad Adadeddaulam, vt sibi exercitum promissum mitteret, legauit. Emir al Omrah autem, cum rebellem fiduciae certum reddidisset, aliquot Arabum magnates ad illum eiusque fratres et omnes caeteros, qui cum eo essent, capiendos, subministrauit. Bagdadum abducti per longum tempus ibi inclusi sunt.

Elmacin *o*) rem prolixius et quoque paulo aliter enarrat. Cum Adadeddaula (ita refert ille scriptor) secundo a Barda, qui Maiefarekinam fugerat, contra Romanum Imperatorem auxilio advocatus esset, precibus rebellis neglectis, eum potius, dum Basilius *p*) per scribam Nicephorum, cum donis ad eum missum, se omnes Moslemicos, quos cepisset, manumissurum esse, promissum dederat, a praefectis Maiafarekinae, ipso quasi nescio, comprehensum vna cum filio Romano Bagdadum abduci iubebat. Primum ei Bagdadi domum concedebat, deinde autem imperium insulae Madidae. Simul retinuit eum promissis, se cum eo exercitum contra Romanum imperatorem missurum esse. Interea Adadeddaula ad Imperatorem, se ei, si omnes arces a Romanis Moslemicis ereptas sibi redderet, Sclerum (Elmacin enim appellat illum Bardam Sclerum) traditurum esse, legatum misit. Simul adiecit, se, si Imperator sui non rationem haberet, Sclerum non solum non traditurum, sed eum etiam adiuturum esse copiis opibusque. Tum Imperator denuo Nicephorum, vt cum Adadeddaula ageret, misit. Cum ille autem adueniret, ipse vnca cum omnibus, qui cum eo erant, comprehendebatur. Sclerus enim Adadeddaulae, Nicephorum venenum, quo eum e medio tolleret, secum portare, indicauit. Quae quidem in annum 372 referri debent. Elmacin enim addit: Adad-

---

o) Elmac. l. c.

p) Elmacino enim autore Basil solus, maximus fratrum natu, imperium tenebat.

eddaula, morbo implicitus, mortuus eſt, omnesque octo menſes in captiuitate manſere.

Cedrenus *q*) continuat hiſtoriam, dum enarrat, Bardam a Chosroe (quo nomine appellatur apud Byzantinos Adadeddaula) e carcere emiſſum fuiſſe, vt exercitum contra Perſas, quibus tum forte Buida bellum intuliſſet, duceret. Bardas primum quidem morbi, in carcere ſibi contracti excuſatione vſus, honorem recuſauit, ſed tandem, a Chosroe precibus nimis obtuſus, ea conditione, vt omnes carceres, in quibus Romani captiui incluſi eſſent, aperirentur, poteſtatem imperatoriam contra Perſas ſuſcepit.

§. 26.

Sed redimus ad noſtrum:

Anno 368 Abulvaſi, Adadeddaulae dux, Maiafarekinam deditione cepit. Cum ad Abu Taglebum nuncius perueniret, Amida relicta, Rahabam conuertebatur. Tum Adadeddaulae exercitus totam Daiar Becrum et Daiar Modzarum cepit. Quo facto Adadeddaula Bagdadum rediit. Abu Tagleb Damascum conuerſus eſt.

Quae amplius Abu Taglebo accidebant, non ad nos pertinent.

§. 27.

Adadeddaulae bellum contra fratres.

Eodem anno Adadeddaula in fratris Fachreddaulae, quocum inimicitia ei interceſſerat, terram expeditionem ſuſcepit.

Abulfaragius *r*) cauſam illius expeditionis in Hamdanam (ibi enim Fachreddaula regnabat) appellat ſuperbam reſponſionem, quam

---

q) Cedren. edit. Venet. p. 545 et 546 Male et obſcure de bellis Adadeddaulae Byzantinus ita ſcripſit: "*τὸ των Περσῶν γένος την ἀρχην της βασιλειας ἀφαιρεθεν ὑπο των Σαρακηνων, ἀει μὴν ἐνεκοτει τουτοις και ονειδομυχει, και καιρον ἐζητει και μηχανην, ὁπως τοὺς τὸ κρατος ἐχοντας καταστασῃ, και τὸν πατριον πάλιν ἀλλαβῃ ἀρχην.*" Ex ſcriptoribus orientalibus nullum aliud bellum Adadaddaulae, quam contra fratres eſſet; ſed Byzantinus plane alium hoſtem appellat: *ἦν δε τις ἐν αὐτοις ἀνηρ ἐξ εὐγενοῦς σειρᾶς καταγόμενος Ιναργος το ονόμα, λεγειν τε δεινος, και ἄλλως πολεμικὸς και δραστηριος ἀνθρωπος: οὑτος τον βασιλεια Χοσροην κατανοησας ἀναιμένως και φαυλως ἄρχοντα, [καὶ νῦν παρεῖναι ὃν ἐζήτουν οἱ Περσαι καιρον οἰηθεὶς ἀνασειει τε τὸ γένος των Αχαιμενιδῶν ἅπαν, και ἀπόστασιν κινεῖ κατα των Σαρακηνῶν.*"

r) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 319.

Adadeddaulae ille frater, cum ab eo, vt Emiro al Omrah Bagdadi obedientiam praeſtaret, poſtularetur, dedit, dum alter frater Movaiededdaula promtum paratumque ſe ei oſtenderat.

Fachreddaula in fugam coniectus, Schams al Maalium, filium Vaſchmekiri, aſſecutus eſt.

Fugiebat igitur in Dſchardſchanam, vt recte memorat Abulfaragius.

Adadeddaula igitur fratris Fachreddaulae terram adeoque Hamdadanam et Raiam totamque terram, quae interiecta erat, occupabat.

Herbeloto autore *s*), Movaiededdaula cum Adadeddaula contra Fachreddaulam foedus iniiſſe videtur; quod quidem infra ab Elmacino accuratius commemoratur. Idem tradit quoque Ommia Iahhia *t*), apud quem tamen in hiſtoria Fachreddaulae plura ſibi repugnant. Teixeira *u*) maxime cum Abulfeda conſentit.

Elmacin de Fachreddaulae prae timore Adadeddaulae fuga ad Cabaſum nihil perhibet, ſed eo autore Fachreddaula prius cum Cabuſo foedus contra ſuum fratrem icerat, eoque modo Adadeddaulae inuidiam ſibi contraxerat *v*). Sed veriſimilior Abulfedae et Abulfaragii narratio eſt; nam quomodo inualidus Fachreddaula potenti fratri Adadeddaulae bellum inferre auſus fuiſſet? — Sed ad annum 371 hanc Elmacini narrationem retractabimus, dum in illum annum demum belli fratrum initium refert, quod, vt tradit Abulfeda, illo anno tantum continuabatur.

---

s) Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 10 ſub titulo Fakhr al doulat "Il fut chaſſé de ſes états de Rei, et de Hamadan par ſes deux ainez nommez Muiad eddoulot, et Adhad-eddoulat, et fut obligé de ſes retirer aupres de Cabus, fils de Vaſchmeghir Roy du Thabareſtan, et du Giorgian, Prouinces qui comprennant l'ancienne Hyrcanie etc."

t) Omm. Iah. p. 74 "Muiededdaula bellum cum Fakraddaula et Schamſalmaali Kabuſo, filio Veſchmeghiri, Tabareſtanis rege geſſit." Sed quid ſignificat ſub nomine Facraddaula: "cum Azaddeddaulae mandato Muiededdaulae auxilium tulit." Hoc ſane non intelligo.

u) Teixeir. p. 274 et 275 "Moieronſe diferencias entre Azududaule y Faxoro daule ſu hermano contra quien Azududaule illevo ſus gentes, huyoſe Fakerodaule para las tierras de Kabus que lo recibió y trato con mucha cortezia y reſpetto, affreſciendo à ſuo ſeruicio ſu perſona y todo le que poſeya."

v) Elmac. hiſt. Sarac. p. 238.

Sed pergit Abulfeda in deſcribendis, quas eo anno ſuſcepit Adadeddaula, expeditionibus:

Tum Adadeddaula in Curdorum terram Hasnuiam profectus, eam quoque expugnauit.

Hanc expeditionem Abulfeda ſolus retulit.

In eadem expeditione Adadeddaula morbo, quem tamen diſſimulabat, oppreſſus eſt. Obliuio in eo tanta erat, vt rerum vix factarum non, niſi ſumma opera, reminiſceretur. Id ipſum diſſimulauit. Nemini illa debilitas nota erat. Initium erat epilepſiae, quae eum mox vita priuabat.

Nihilominus tamen expeditiones continuauit.

Eodem enim anno exercitum contra Curdos Hacaritas ex regione Mauſelenſi miſit, qui quidem, inuaſi et obſeſſi, arcibus ei traditis, cum ipſius exercitu Mauſelam deſcenderunt.

Has quoque expeditiones alii ſcriptores memoriae non prodiderunt. Caeteri fuſius de iis, quae Abulfeddaula domi geſſit, narrant.

Eodem anno Taia lillah Adadeddaulae filiam in matrimonium duxit.

Vt perhibet Elmacin *x*), Chalifa iam anno 364 cum Azeddaulae filia coniugium inierat. Sed Elmacin ipſe ſibi repugnat. Nam ad annum 370 memorat ille, eo anno Taiam lillah Adadeddaulae filiam, a. 364 ei iam deſponſam, vxorem duxiſſe. Sed ſecundum ipſius teſtimonium illa Azeddaulae, nec Adadeddaulae filia fuit, quam inſuper Chalifa a. 370 ſibi non ſolum deſponſerat, ſed, vt verba docent, reuera duxerat *y*). Negligentia ſcriptoris eſt, quae forte eo modo explicatur. In libris, ex quibus hauſit, ſub anno 370 Chalifae matrimonium, cum Adadeddaulae filia iunctum legebat. Cum autem ſimile quid iam ad annum 364 reperiſſe reminiſceretur, nec accurate locum reſpiceret, nomina Adadeddaulae et Azeddaulae confundebat. Vt tamen duo Chalifae matrimonia in vnum contraheret, ad annum 364 ſponſalia, ad annum 370 vero matrimonium ipſum refert *z*). At ego certe puto, Taiam, vt tradit Elmacin, a. 364 reuera filiam Azeddaulae nec Adadeddaulae vxorem du-

---

x) cf. Elmac. p. 233. c. p. 238.

y) p. 233. وفي هذه السنه تزوج الطايع لله سهربان بنت الامير عزالدوله

z) p. 238. وفي سنه سبعين وثلثمايه زفت ابنة عضد الدوله بن بويه الي الطايع لله وكان العقد قد وقع في سنة اربع وستين وثلثمايه

xiſſe. Sed cum poſtea eius ſocer ab Adadeddaula imperio depulſus eſſet, prudenter coniugium cum filia inimici noui Emiri al Omrah ſoluebat, huiusque gener fiebat.

Quae Abulfeda ad annum 370 ad Adadeddaulam pertinentia enarrat, omittimus nunc, quia aptiori loco inſerenda ſunt. Convertamus nos ad annum 371, ſub quo continuatio belli fratrum refertur:

Anno 371 Adadeddaula terris Dſchardſchiana et Tabareſtana potitus, inde hoſtem Cabuſum, Vaſchmekiri filium, exegit. Nam cum eo Fachreddaula Ali, frater Adadeddaulae, ſeſe coniunxerat; quod quidem factum eſt eo, quod Adadeddaula a Cabuſo, vt fratrem Fachreddaulam ſibi traderet, poſtulauerat, ille autem haud paruerat.

Elmacin, qui, vt iam ſupra monuimus, aliam belli Buidarum cauſam commemorauerat, in ratione quoque, qua Adadeddaula illas duas prouincias iuris ſui fecerat, referenda, cum Abulfeda non conſentit. *Adadeddaula* (ita perhibet ille) *fratri Movaiededdaulae Taiae codicillos, ex quibus Dſchardſchianam et Tabareſtanam occupare ei licitum erat, miſit. Tum Movaiededdaula, vt contra Fachreddaulam pugnaret, exceſſit; Fachreddaula autem Fanuſo a) auxilium tulerat. Multis proeliis commiſſis, Fanus in fugam coniectus, Movaiededdaula vero Dſchardſchiana et Tabareſtana potitus eſt.*

Abulfaragius *b)* verbis tantummodo paucis foedus Cabuſi cum Fachreddaula contra Adadeddaulam ictum deſignat. Abulfeda ad annum 373 (vt has res deinceps enarremus) porro refert, illo anno Movaiededdaulam ab Adadeddaula imperium terrae fratris Fachreddaulae adeoque Raiae et Hamadanae accepiſſe. Sed ſtatim poſt Movaiededdaulae mortem, quae ad eundem annum a ſcriptoribus refertur, (interim quoque Adadeddaula obierat et in eius locum filius Samſameddaula ſucceſſerat) Fachreddaulae, autore Chalifa, impe-

---

a) Elmacin p. 238 mutat nomina. فابوس (ita nomen مهملة vt verbis Grammaticorum vtar, ſcribitur) pronunciari poteſt قابوس (Cabus) et فانوس (Fanus): Elmacin effert nomen فَانُوس Nomina quoque وسمكين et وشمكير commutari poſſunt: ن enim fin. et ر non plane diſſimiles litterae ſunt. Deguignes p. 408 pronunciat Vaſchmakin.

b) Abulfarag. hiſt. dyn. l. ſup. c.

rium esse restitutum. Eadem tradit Abulfaragius. Elmacin, qui nusquam, Fachreddaulae ditionem ab Adadeddaula Movaiededdaulae donatam fuisse, memoriae prodidit, illum, mortuo Movaiededdaula, in regnum suum rediisse, non dicere poterat, sed ex illius scriptoris narratione Fachreddaula Dschardschianam, quam Movaiededdaula viuus per procuratorem administrauerat, occupat, ibique rex creatur. Ita secundum Elmacini relationem Fachreddaula, dum Movaiededdaula Dschardschianam regnabat, in suas ciuitates Raiam et Hamadanam redire poterat. Apud Abulfedam vero, qui illum ex suis terris expulsum fuisse, perhibet, quaeritur, vbi ille vsque ad fratris mortem versatus fuisset? Abulfeda tacet. Ommia Iahhia *c*) vero aliique Persici scriptores apud Herbelotum *d*) et Teixeiram *e*) de illa re nos certiores faciunt. Hic scriptor cum Abulfeda, Adadeddaulam ipsum, nec per fratrem Movaiededdaulam Fachreddaulam ex Dschardschiana expulisse, consentit. Sed idem ille scriptor plures res ad bellum vtriusque fratris, quas apud nullum alium scriptorum reperimus, pertinentes, addidit. Caeterum hic Teixeirae relatio satis clara luce caret. Quod praesertim attinet ad Chronologiam, autor saepissime sibimet ipsi repugnat.

---

c) Omm. Iah. p. 74 "Nisapor profectus est (Nisaporem profectus est!) vnde ab Sahabo Ismaele, Hibudae filio, post Moiddaulae mortem euocatus, ann. Heg. 373 rediit, regnoque restitutus, illud 11 annos tenuit."

d) Herbelot. bibl. orient. T. III. p. 10 — "ces deux Princes (Fachreddaula et Cabus) avec toutes leurs forces jointes ensemble, ne pouvant se mettre en état de lui resister, furent contraints de s'enfüir à Nischabour, ville du Khorasan, où Timurtasch, qui gouvernoit cette Province au nom de Nouh, Sultan de la dynastie des Samanides, leur donna un azyle assuré."

e) Teixeir. p. 175 "Pero Kabus y Fakorodaule agudados de Nue ben Mansur, boluieron sobre Azududoule y recobrando Gériom lo forçason à reco gerse en una fortaleza, la qual sitiaron, y passados dos meses comencaron los cercados à sentir folta de bastimientos, tunieron inteligencia con un Capitan de los defuera à quien por divero pusieron à sue devocion, acordaron lo que devian hazer, y el tiempo y quando los cercadesres menos lo podian pensar los assaltaron los citiados, y viendo todos huyr al Capitan subornado con sus gentes cada qual hizo lo mismo y an si fueron libres del cerco."

§. 28.

Adadeddaula domi.

Postquam Adadeddaulam foras virum fortem atque bellicosum cognouimus, videamus de iis, quae domi gessit.

Scriptores eum principem, qui, litterarum artiumque amans, omnium, qui illis operam nauabant, studium regiis muneribus accendebat *f)* et augebat, vno ore celebrant.

Hinc factum est, ait Abulfeda, *vt ex omnibus regionibus docti ad illum confluerent, et scripta sua ei dedicarent.* Sed ipse quoque litteris excultissimus atque poeta laudatur. Tam Abulfeda, quam Elmacin illius artis poeticae specimen memoriae prodiderunt; quod simul eo memorabile est, quod, vt testatur vterque scriptor, Adadeddaulae, qui in illis versibus nimis arroganter propter suam potentiam sese iactauerat, animi tranquillitatem per caeteros vitae annos eripuerat. Praeterea Adadeddaula a scriptoribus restitutor vrbium Bagdadi et Mauselae, quae valde bello dirutae et vastatae erant, laudatur. Immensas quoque impensas ad praecipua regni oppida, Bagdadum et Schirazam nouis vtilibusque aedificiis amplificandi erogauit. Maxima scripserunt de Adadeddaulae cura, quam in vrbibus ponebat, auctores Persici. Abulfeda nil nisi illum Prophetae vrbem moeniis circumdasse, refert *g)*, et Abulfaragius *h)* tantum tradit, illum a. 370 Bagdadum, continuis bellis, quae in vrbe saevierant, dirutam, restituere incepisse. Fora et sacras aedes (ita enarrat Abulfaragius) restituit magnasque summas in sacerdotes, qui templis praeerant, erogauit. Simul quoque fluuios obrutos effodi atque aequari iussit. Idem scriptor mentionem quoque fecit nosocomii, quod Adadense (العضدي) appellabatur, et a. 371, dum varia medicamenta inferebantur, aperiebatur. In occidentali Bagdadi parte exstructum illud fuit. Ex aliorum scriptorum narratione

---

f) cf. Abulfed. p. 552; Abulfarag. hist. dyn. p. 325-329 — chr. syr. p. 205; Teix. p. 283. Herbelot. p. 99.

g) Abulfed. p. 552 et Herbelot "il fit aussi fertifier de bonnes murailles la ville du Prophete, (c'est-à-dire Medine) dont l'encrinte étoit presque'entierement minée." Cf. quoque Omm. Iah. p. 73; Teix. p. 284.

h) Abulfarag. hist. dyn. p. 319.

plura nosocomia et templa et hospitia pauperibus aedificari iussit *i*). Quin immo Christianis in ditione sua ecclesias aedificandi, dum ipse iis, sumptibus imparibus, pecuniam contulerit, potestatem dedisse dicitur *k*). Maximum tamen et admirabile opus, quod reliquit Adadeddaula, fuit illa moles, quam incredibilibus impensis circum Alii et Hassaini sepulcra, in colle exstructa, vt ab iis Tigridis inundationes retineret, duci iussit *l*). Sed in Schirazae quoque commodum magnas pecuniae summas contulit. Cum inundationibus fluuii Bendemiri eius nauigatio prohiberetur, ideoque incolis commercium habendi difficultas esset, Adadeddaula altiorem illi fluvio alueum effodi iubebat. Quo facto aquas, quae per campos diffusae erant, in illum coegit atque eo modo nauigationem effecit, dum altis molibus, circum eum exstructis, quominus denuo redundaret, prohibuit *m*). Commemoratur quoque altera vrbs, quam e Schirazae regione Adadeddaula condidisse dicitur. Mox tamen

---

i) cf. Omm. Iah. l. c. et Herbelot. p. 99 "il fit battir dans Bagdet de nouvelles Mosquées, et plusieurs Hospitaux pour les pauvres, pour les malades, et pour les orphelins"; Teixeir. p. 283; cf. quoque Marigny T. IV. p. 82 et quae ille ex suo ingenio adiecit.

k) Teixeir. p. 283 "dio licencia à los Christianos que estaun en sus tierras paraque fabricassen y gleſias ayundandoles con parte del gasto à su costa."

l) Herbelot. l. c.

m) Herbelot. l. c. et Omm. Iah. p. 73. Recentiores quoque Periegetes Bendemiri mentionem faciunt cf. e. g. Chardin voy. en Perse T. II. p. 139 et Kinneir, geograph. memoir of the Persien Empire, London 1813, p. 59, vbi legitur: "the river Bund Emeer, by some ancient geographers called the Cyrus, takes its present name from a dyke (in Persian a bund) erected by the celebrated Ameer Azad-a-Doulah Delemi. It flows through the beatiful valley of Merdesht, in wich stand the magnificent ruins of Persepolis, and on entering the rich and productive districts of Kurjan, is divided into nomberless channels, for the purposes of irrigation. The part of the water wich is not expended in the cultivation of the land, runs towards the lake of Baktegan; and before entering it, joins the Shamier, a small stream, wich has its rise in a hot fantain, three miles from the village of Gazian, and previous to its junction with the Bund Emeer, passesthe villages Kuma and Syound." Cf. quoque de fluvio Kur: Viaggi di Pedro della Valle descritti da lui medesimo in Lettere familiari etc. la Persia p. 276 seqq.

illa diruta eſt *n*). Herbelot, in eius loco viculum, cui nomen Souk-al-Emir ſit, concpici, refert. Porro Herbelot *o*) aedificii Adadeddaulae, quod ex libro Kaovam al Molk appellat Koubad Faix *c'eſt-à-dire* (vt Herbeloti verbis vtar) *le dome du diſtributeur des lumières* mentionem infert. Idem aedificium fuiſſe videtur, quod Franklin ſub nomine *Schàh Cheraùg* vel *king's lamp* i. e. *regis lampas* commemorat. Situm eſt media in vrbe, (ita enarrat ille) et a Perſis maxime colitur, quia fratri cuiusdam Imami eorum mauſoleum eſt. Franklin ex illius loci annalibus, quarum epitomen magna opera ſibi comparauerat, aedes illas a noſtro Adadeddaula exſtructas fuiſſe coniectat. Epitomen cum nobis communicauit, ex cuius prodigioſa quidem narratione certe cum Franklino, Adadeddaulam illius aedificii autorem fuiſſe, nobis coniicere licet *p*).

§. 29.

Mors Adadeddaulae.

Anno 372 *octauo die menſis Schuali Adadeddaula Fana Chosru, filius Rocneddaulae Haſani, filii Buiae, a morbo comitiali, qui fere continuus erat, mortuus eſt. Oſſa eius, ad Martyreum Alii, filii Abu Thalebi (acceptum habeat eum deus) deportata, ibi ſepulta ſunt. Durauerat eius imperium per quinque annos, et ſex menſes, tota autem vita per quadraginta et ſeptem annos. Fertur, cum iam mors adeſſet, eius linguam haud alium ſonum, promiſiſſe, quam verba: quid mihi proſunt nunc mea regna: imperium meum periit!*

---

n) Herbelot. et Omm. Iah. l. ſ. cit.: etiam vrbem ex oppoſito Schirzad condidit, quae nunc ager eſt, et imperatoris forum vocatur." Idem teſtatur quoque Chardin T. 2. p. 205. 4. "elles ajoutent, qu'au tems de Arad-Deulet-Deilemi elle étoit ſi pleine d'habitans, que la Cour ne trouvant pas de place à ſe loger, il fit batir une autre ville, vis-à-vis, à quelque diſtance, qu'il appella Kobad-Kosrou-guirde, c'eſt-à-dire Aſſemblée de Kosrou, mais que le peuple nomma Serigue-Elmir, c'eſt-à-dire: Dépit du Prince; laquelle eſt ruinée à préſent, n'y reſtant plus qu'un Village."

o) Herbelot. bibl. orient. T. I. p. 100.

p) cf. Obſervations made on a Tour from Bengal to Perſia in the years 1786 — 1787 by William Francklin, p. 78 ſeqq.

Eadem verba refert quoque Elmacin *q*), qui ſimul carmen Abul Caſemi, celeberrimi Veziri Movaiededdaulae, quod Adadeddaula, diem fatalem haud procul abeſſe, ſentiens, perpetuo recitare ſolebat, memoriae prodiit. Eodem autore Adadeddaulae mors aliquamdiu celata eiusque corpus vsque ad annum 373 in arce imperiali conſeruatum eſt. Tum demum Cufam translatum ibi in martyreo Alii eſſe conditum. Vt refert Khondemir apud Herbelotum Adadeddaula iam ante mortem illud ſepulcrum ſibi deſtinauerat *r*).

Poſt mortem Adadeddaulae relatam omnes ſcriptores Panegyricum in illum addunt. Abulfeda appellat eum virum prudentem et ſapientem, et bonis moribus auctoritateque pollentem. Elmacin adiicit elogium fortis animi. Abulfaragius denique laudat eum conſultum et ſeuerum, laetis ſucceſſibus gaudentem, verſutum, virtutis amantem, liberalem ſimulque parcum principem.

---

q) Elmac. hiſt. Sarac. p. 238.

r) Herbelot. T. I. p. 99 "il ordonna par ſon teſtament qu'on l'enterrât auprès du Nagiaf ou ſepulcre d'Ali, où il avoit fait batir une mosquée." — Omm. Iah. p. 73 "obiit epilepſia Bagdadi, Ramadano menſe anni 372, in templo Ali, imperatoris fidelium, ſepultus."

SECTIO TERTIA,

res ab Emiris al Omrah ab anno 372 Arabum (Christ. 982) vsque ad annum 447 Arab. (Christ. 1055) siue a morte Adaded-daulae vsque ad Seldschukidarum Bagdadi imperium gestas exponens.

§. 1.

Samsameddaula Emir al Omrah.

Post Adadeddaulae mortem regni primates congregati illius filium Calidschar Marzabanum (كالبجار المرزبان) *Emirum fecerunt. Sacramento ei dicto, cognomen Samsameddaulae* (صمصام الدولة) *accepit.*

Sed Samsameddaula haud solus haeres vasti regni, quod Adadeddaula Emir al Omrah possederat, fuit: nam ei cum fratribus dividendum erat. Pergit igitur Abulfeda:

Cum eius frater Scharfeddaula Schirzik (شرف الدولة شيرزيك) *in Kermana ipsius obitum accepisset, in Persidem profectus, eam regnabat, fratrisque Samsameddaulae Chotbam ibi delebat.*

Autore Abulfaragio *a*) Samsameddaula tum non princeps Persidis fuit, sed eam, simulac Emiri al Omrah potestatem Bagdadi capesserat, duobus suis fratribus, (causa a scriptoribus non additur) quorum Abulfeda haud rationem habet *b*), Abul Hasaino Ahmed

a) Abulfarag. hist. dyn. p. 321.

b) De numero filiorum, quos reliquit Adadeddaula, magna apud scriptores occurrit dissensio. Abulfeda tres tantummodo appellat, Samsameddaulam, Scharfeddaulam et Bahaeddaulam. Elmacin et Abulfaragius his Abul Hasainum et Abi-Taherum Firuscha adiiciunt. Hunc Elmacin p. 241 اباطاهر Abulfarag. p. 321 vero ابي طاهر nominat. Herbelot, sibimet ipsi, vt saepe, repugnans T. I. p. 102 quatuor filios enumerat: Samsameddoulat Abu Kaligiar, Abul Hassan Ahmed, Abu Taher Firuzschah, denique Scharfeddoulet Abul Falvares minimum natu (Elmacino autore maximus natu fuit! cf. pag. 240) Bahaeddaulae igitur, qui postea Emir al Omrah factus erat, haud mentionem fecit! — Sed. Tom. III. p. 199, Abulfedam sequens, tres illos tantummodo, et Bahaeddaulam quidem minimum natu appellat. Marigny T. IV. p. 85 in adnotione monet, ex nonnullis scriptoribus Adadeddaulam sex filios reliquisse, sed ex quibus autoribus?

(ابو الحسين احمد) et Abi Tahero Firuzſcha (ابي طاهر فيروزشاة) cedebat. Alter eorum frater vero Scharfeddaula, quem pater iam ante mortem ad Kermanam *c*) obſidendam miſerat, inde profectus Schirazam praeoccupauerat. Sed eo autore Schiraza ſola, nec tota Perſis, vt vult Abulfeda, a Scharfeddaula regnabatur. Elmacin *d*) quoque Scharfeddaulae imperium Perſidis in vrbem Schirazam ſolam reducit, dum, caeteras illius terrae vrbes Abul Haſaino Ahmed (Abi Taherum Firuzſcha ille ſcriptor ignorat) ſubiectas fuiſſe, perhibet. Ex eodem autore apparet, Abul Haſanum Ahmed in regenda Perſide haudquaquam a fratre Scharfeddaula Schirazae pependiſſe. Nam cum Scharfeddaula Bagdadum proficiſci pararet, a fratre Ahmedo auxilium, quod ei inſuper recuſabat, petebat. Nihilominus tamen, expeditione contra Bagdadum ſuſcepta, inualidum fratrem imperio depulit; qui quidem breui tempore, quo regnabat (a. 372 — 376), a. 374 quendam Curdum Badum (باد), qui, Mauſela potitus, in dies creſcente potentia, Bagdado occupata Dailomitas expellere geſtiebat, proelio vicit, et Mauſelam ipſam expugnauit *e*). Porro, vt enarrat Abulfeda *f*), a. 375 contra Caramitas, qui eo anno Cufam occupatam vaſtauerant et diripuerant, exercitum (ipſe non dux fuit) miſit. Caramitis, qui magnam hominum iacturam fecerant, fugatis, hominibus in regione Cufam circumiecta, pauor iſtorum paululum diminutus eſt.

§. 2.

Scharfeddaula, Bagdado occupata, fratrem Samſameddaulam capit.

Anno 376, pergit noſter, *Scharfeddaula Schirzik, Ahvaza Vaſetam exceſſit eamque cepit. Suadebant igitur amici Samſameddaulae, vt Mauſelam vel in alium locum ſeſe conferret. Samſameddaula vero conſi-*

---

c) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 320.

d) Elmac. hiſt. Sarac. p. 240, vbi de Scharfeddaula legitur: وكان بيده اصفهان والري وشيراز من بلاد الديلم h. e. in eius manu erat Isfahan, Rai et Schiraz a terra Dailomitica. De Abul Haſano Ahmed autem dicit: وكان بيده بلاد فارس h. e. erant in eius manu vrbes Perſidis.

e) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 321.

f) Abulfed. p. 560.

filio aures non praebebat, sed, postquam a fratre incolumitatem impetraverat, cum exercitus ducibus ad eum equitabat. Scharfeddaula benigne quidem eum excipiebat, et blanditiis mulcebat; sed cum ille ab eo discedere vellet, eum comprehendebat. Scharfeddaula, fratrem secum trahens, castra mouebat, donec mense Ramadano Bagdadum perueniebat. Samsameddaulae Emiratus Bagdadi per tres annos durauerat. Tum Scharfeddaula in Persidis arcem quandam transportatum in carcere includi iussit.

De tempore, quo Samsameddaula imperio se abdicare cogebatur, scriptores dissentiunt. Abulfeda, vt vidimus, abdicationem ad annum 376 refert, quocum Abulfaragio in Chronico Syriaco *g*) (vbi autem ratio abdicationis plane aliter, quam apud alios scriptores legitur) conspirat. In compendio tamen illius operis, in historia dynastiarum *h*), Samsameddaulam a. 377 demum potestate expulsum fuisse, refert, dum rationem, qua abdicatio fiebat, eandem, quam Abulfeda, appellat. Vt computat Elmacin *i*), Scharfeddaula, iam anno 375 Bagdadum profectus, Samsameddaulam cepit. Sed illa de Samsameddaulae abdicationis tempore scriptorum dissensio ab incerta temporis, quo Scharfeddaula Bagdadum intrauerat, definitione profiscitur. Elmacino autore, qui hic quaedam, quae apud nullum alium scriptorem leguntur, habet, Scharfeddaula ante Bagdadum introitum contra fratrem Samsameddaulam pugnauit eumque cepit; quod quidem sub finem anni 375 factum fuisse verisimile est, dum autor incerto modo annum 375 totum appellat. Anno 376, cuius initii Elmacin haud mentionem habet, vrbem intrauit, et a. 377 vna cum solitis insigniis a Chalifa Emiri al Omrah potestatem accepit. Eo modo diuersos annos 375, 376 et 377 conciliare tentaui. Herbeloti solius enarratio cum aliis scriptoribus haud conciliari potest. Eo enim autore *k*) secundum Khondemirum et

---

g) Bar Hebraei chron. Syriac. p. 206.

h) hist. dyn. pag. 321.

i) Elmacin. hist. Sarac. p. 241.

k) Herbelot. Tom. III. p. 247 "L'an 377, Scharfaldoulat commença la guerre contre son frère Samsamaldoulat, qui avoit eu de son père pour partage la Province dite Ahvaz et l'Iraque Arabique, et se rendit Maître, dans la même année, de l'importante Ville de Bassora, qui étoit la Capitale de tout ce Pays-là. — L'an 378, après avoir

Ben Schonah, Scharfeddaula a. 378 demum in vrbem introit, dum annum 377 in capienda Ahvaza et Iraca Arabica, quam Samſameddaula a patre acceperat, conterit. Idem tradit quoque Marigny *l*). Ommia Iahhia cum Abulfeda conſentit.

Ratio, qua Samſameddaula a Scharfeddaula imperio depellebatur, a ſcriptoribus vario modo deſcribitur. Elmacini narrationem, quae plane diuerſa ab illa Abulfedae eſt, hic interponere iuuat *m*).

Scharſeddaula expeditionem bellicam contra Samſameddaulam ſuſcepit, et proelio commiſſo eum in vincula dari iuſſit. Tum Iracam inuaſit, et Ahvaza, Basra et Vaſeta capta, eius potentia opibus hominibusque creuit. Hinc ad Taiam lillah, vt ab eo trabeam et codicillos poteſtatis, Emiri al Omrah peteret, miſit, Chaliſa quidem adnuit, ſed ſimul, vt ſibi fratrem Samſameddaulam, ab eo captum, traderet, eum rogauit. Reuera Scharſeddaula fratri libertatem dabat, poſtquam pax ea conditione, vt Scharſeddaulae nomen primum in publicis precibus nuncuparetur, nec alter in alterius ditionem transgrederetur, inter eos conuenerat. Iureiurando dato acceptoque, Samſameddaula ad Scharſeddaulam, Vaſetae verſatum, ſeſe contulit. Scharſeddaula fratrem in tentorium, velis remotis, induci iuſſit, ſimulque cuſtodes ad ipſum eiusque opes ſeruandas ei praeſecit. Tum Scharſeddaula, caſtris Bagdadum verſus motis, menſe Ramadano, viginti millibus Dailomitarum et tribus millibus ſeruorum Turcicorum ſtipatus, illam vrbem introiuit. Imperio ibi ſtabilito, fratrem Samſameddaulam in arcem Perſicam deductum, ibi includi iuſſit. Spatium temporis, quo Samſameddaula in Iraca regnauerat, tres anni et quatuor menſes fuere.

Multo longius recedit Bar Hebraeus ab Abulfeda, dum ſcribit: *n*)

Dum Chaliſa Taia in conuentu quodam in ſolio ſedebat, praefectus Samſameddaula (عضد الدولة), *vt eum ſalutaret, ingreſſus eſt. Terram*

---

réduit ces Provinces à ſon obéïſſance, il tourna du côté de Bagdet, ou Samſamaldoulat poſſédoit la charge d'Emir al Omera ou de Lieutenant-Général du Khalife. Celuy-cy ne ſe trouvant pas aſſez fort pour réſiſter à la puiſſance de ſon frère âiné, prit le party de l'aller trouver et d'implorer ſa clémence."

l) Marigny l'hiſtoire des Arabes T. IV, p. 88.

m) Elmac. p. 240 et 241.

n) Bar Hebr. chron. Syriac. pag. 206.

oſculatus a dextra ſolii ſe ſtitit. Omnes proceres ingredientes idem faciebant. Poetae quoque intrabant, et magis, ac caeteros proceres, Samſameddaulam carminibus celebrabant. Cum illi de hac re ſuccenſi eſſent, quidam eorum, cui nomen Scharfeddaulae (شرف الدولة) *erat, ſeditione occulta cum caeteris conflata, Samſameddaulam clam comprehenſum in quandam Perſidis vrbem mittebat, vbi eum obcaecabat.*

Hanc relationem, quam Abulfaragius in Chronico Syriaco de Samſameddaulae abdicatione tradidit, ipſe in illius operis compendio cum alia veriſimiliore, quae fere cum illo, ab Abulfeda narrato, conſentit, commutauit *o*). Si caeterum a ratione, qua accurate diligenterque narratur, ad fidem narrationis concludere nobis licet, Elmacini enarratio praeferenda mihi eſſe videtur. Relationis, quam Herbelot dedit, iam partem commemorauimus. Eo autore Scharfeddaula ante Bagdadum introitum fratrem in Perſidem transportari iuſſerat *p*). Apud Ommiam Iahhiam *q*) illa arx Perſica, ex latina verſione, Kejuſal appellatur. Sed Scharfeddaula quoque Emiri al Omrah honore haud diu gauiſus eſt. Reuertamur ad noſtrum:

§. 3.

Anno 379 Scharfeddaula Mohammedem, Schirazenſem, Farraſchum ſeu cubicularium, vt fratrem Samſameddaulam Marzabanum excaecaret, ſubornauit.

Autore Abulfaragio *r*), Scharfeddaulae ipſius amici, vt fratri, priusquam ipſe obiret, vitam, vel certe regnandi facultatem oculis obcaecatis eriperet, conſilium dabant, dum Samſameddaulam, ſi Emiro al Omrah ſuperſtes eſſet, eius poteſtatem recipere tentaturum eſſe credebant. At nonne Samſameddaula, in Perſica arce incluſus, quominus conſilium illud perficeret, ſatis prohibitus erat? Secundum Abulfaragium vero in manibus Scharfeddaulae manſit, donec ille diem ſupremum haud longe abeſſe ſentiebat. Tum demum vna cum fratre Abu Tahero in Perſicam arcem deductus eſt. Ommia Iahhia *s*), Scharfeddaulam fratrem ſtatim obcaecatum in Per-

---

o) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 321.
p) Herbelot. l. c.
q) Omm. Iah. p. 75.
r) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 322.
s) Omm. Iah. l. c.

ſidem miſiſſe, refert. Quamuis ex Abulfedae narratione Samſameddaula integris oculis in Perſidem transportatus, et poſtea demum, cum frater Bagdadi morbo oppreſſus eſſet, illis priuatus erat, ab eo tamen obcaecatio haud ex ſola crudelitate, ſed imperii cura fiebat. Sed Scharfeddaula, antequam crudelis iuſſus perfectus erat, obiit. Nam, pergit noſter:

Mohammed poſt Scharfeddaulae mortem ad arcem, in qua Samſameddaula incluſus erat, conuerſus, eum obcaecauit.

§. 4.

Scharfeddaulae mors.

Eodem anno, initio ſecundi Dſchamadi, Scharfeddaula Abul-Favares Schirzik, Adadeddaulae filius, ex hydrope mortuus eſt. In Alii, filii Abu Taheri, martyrium deportatus, ibi ſepultus eſt. Emiratus eius in Iraca durauerat duos annos et octo menſes, et viginti et octo annos atque quinque menſes vixerat t).

Accuratiſſime ſcriptores in definiendo tempore conſentiunt. Secundum Herbelotum *u*) tamen Scharfeddaula vnum tantummodo annum regnabat, quia eo autore a. 378 demum Bagdadum veniebta.

§. 5.

Bahaeddaula Emir al Omrah.

Poſt Scharfeddaulae obitum eius filius Bahaeddaula Abu Naſer (بها الدولة ابو نصر), (eius nomen appellatur Chaschad (خشاذ) *v*) *Adadeddaulae filius, in imperio ſucceſſit.*

In hiſtoria huius Emiri al Omrah tot diſſenſiones atque repugnantiae apud ſcriptores occurrunt, vt vix ex difficultatibus me expediam. Vt enarrat Abulfaragius *x*), Scharfeddaulae filius quoque fuit, quem tamen cum opibus, armis et magna Turcarum turma

---

t) cf. Elmac. p. 241 Abulfarag. hiſt. dyn. l. c. Deguignes T. I. P. I. p. 407.

u) Herbelot. hiſt. orient. T. III. p. 247 in fine.

v) Herbelot. T. I. p. 328 "ſon nom Perſien étoit Khosrou Firuz."

x) Abulfarag. hiſt. dyn. pag. 322. At quomodo Scharfeddaula, qui iam vigeſimo et octauo vitae anno mortuus erat, tam adultum filium, qualis ille describitur, habere poterat? Mihi certe hoc non liquet. Legas totum locum apud Abulfaragium, nec invenies bonum contextum.

in Perſidem miſerat. Ad eum (nomen ei erat Abu Alii) patruus, poſtquam Emir al Omrah factus fuerat, miſit, dum blanditiis promiſſisque eum mulſit. Cum autem ad eum veniret, comprehenſum interfici iubebat. Ita Abulfaragius in hiſt. dyn. In chron. Syriaco *y*) vero idem ſcriptor nomen *Abu Naſer Bahaeddaula* diſſociat, ita vt Abu Naſer et Bahaeddaula duo diuerſi homines ſint. Abu Naſer enim fuit ſummus exercitus Scharfeddaulae imperator, qui, hoc defuncto, in Emiri al Omrah locum ſucceſſit (a. 379). Tum autem, Abu Nasro capto (a. 380), Emir Bahaeddaula pro eo ſubſtitutus eſt. Vtraque relatio proficiſcitur ab erroribus et nominum confuſione, quae ex narratione, ab Herbeloto de Bahaeddaulae bello, contra Samſameddaulam elapſum geſto, lata, apparere videtur. Cum Abulfeda de hoc fratrum bello, ſicut de Samſameddaulae effugio nihil referat, quamuis, dum illius mortem commemorat, eius imperii Perſidis quoque mentionem habet *z*), et caeteri ſcriptores rationem tantummodo, qua Samſameddaula e carcere euaſerit, enarrent, bellum vero, quod ei contra Bahaeddaulam gerendum erat, omittant, enarrationem de hac re ex Herbeloto ſecundum Khondemirum et Lebtarikh hic inſerere atque maioris perſpicuitatis cauſa eius verba ipſa repetere mihi liceat. Quod tamen Abulfaragius in hiſt. dynaſt. et Elmacin, ab aliis ſcriptoribus diſcrepantes, de Samſameddaulae effugii ratione dixerunt, praemittemus.

---

y) Bar Hebraei chron. Syriac. p. 206.

z) cf. noſtrum ad ann. 388, vbi obſcuris verbis ita enarrat: "eo anno deceſſit Samſameddaula, quod Dailomitae contra eum ſurrexerant. Triginta et quinque annos atque ſeptem menſes natus, nouem annos et octo dies in Perſide regnauerat." Abulfeda addit: "adnotat Cadi Schahabed-din, Abildami filius, illum Samſameddaulam, e carcere elapſum, a. 380 rerum potitum, ab eo inde tempore oculis priuatum fuiſſe. Manſit in regno et fiebat, quod ſupra memorauimus, donec eo anno, dum caecus erat, interficiebatur." At neque ad annum 380, neque alio loco aliquid de Samſameddaulae fatis legitur. Reiskius igitur (in adnot. hiſt. p. 788), codicem Leidanum, quem interpretabatur, non integrum fuiſſe, coniectauit. Fortaſſe autem verba illa: واستمر في الملك وكان منه ما تقدّم citata ſunt ex Schahabeddino, quem autorem noſter hic fontem indicat.

Vt perhibet Abulfaragius *a*). captorum fratrum cuſtodes, ſimulac Scharfeddaulae mortem acceperant, illos liberabant, et quidem, vt verba enarrationis docere videntur, neſcio et inuito Bahaeddaula. Fratres, e carcere emiſſi, Schirazam ſeſe contulere, vbi magna Dailomitarum turba, circum caecum Samſameddaulam congregata, ei Perſidis imperium armis reconciliabat. Ex Elmacini *b*) vero narratione patet, vt bellum inter Samſameddaulam et Bahaeddaulam haud fieri poſſet: illo enim autore Bahaeddaula, ſimulac Emir al Omrah factus fuerat, capto illi fratri non ſolum libertatem, ſed etiam Schirazam et Ardſchanam vna cum ditionibus ad eas pertinentibus dedit; quas quidem regiones cum fratre Abu Tahero, qui tamen mox vitam cum morte commutabat, communi imperio tenuit. Adiicit tamen Elmacin, illum ſub ſpecie tantummodo regnaſſe, dum quidam, Fuladi (فولاذ) nomine, qui ſimul cum eo, vt narrat Abulfaragius, in arce Perſica incluſus fuerat, ipſius rebus praefuiſſet. Herbelot plane diſcrepat ab Elmacino. *Samſamaedoulat, qui s'étoit ſauvé de ſa priſon, ayant mis ſur pied une armée, vint l'attaquer et lui livra pluſieurs combats, qui l'obligerent à la fin d'entendre à ſa paix, qui ſe fit entre eux avec les conditions ſuivantes. La Province de Fars, qui eſt la Perſe proprement dire, avec celle d'Aragian, demeura en propre à Samſamaldoulat, et celle de Khouziſtan, qui eſt la Suſiane, avec l'Iraque Arabique ou Chaldée, de laquelle Bagdet étoit la Capitale, reſterent avec la charge et dignité d'Emir al Omrah à Bahaaldoulat.* Autore Teixeira Samſameddaula denuo rerum Bagdadi potitus, Bahaeddaulam imperii ſocium fecerat *d*): *Muriendoſe Xerſa* (Scharfeddaula) *en el anno de la Hixara* 379 *Xamsdaule, o, Abul Ganiar Marſabane ſu hermano que en la priſion eſtava* (quomodo captus fuiſſet, nusquam legitur) *fue ſacado della y pueſto en ſu lugar: tomò ceſte por accomparado on ſu gouvierno à Bahaodaule ſu hermano menor.* Sed hoc non veriſimile eſt, nec vllo aliorum ſcriptorum teſtimonio comprobatur. Teixeira hic haud ex limpido Mirkhondii fonte hauſiſſe videtur. Hoc quidem

a) Abulfarag. hiſt. dyn. l. c.

b) Elmac. p. 241.

c) Herbelot. bibl. orient. T. III. p. 199 cf. c. T. I. p. 328.

d) Teixeir. p. 284.

certum eſt, vt fratrum conſenſus hac re mox interrumperetur: *toutes ces choſes s'étoient paſſées depuis l'an 372 de l'Hegire, auquel Adhadhaldoulat étoit mort, jusqu'en l'an 383, que le ſix d'Azzaldoulat Bakhtiar qui avoient été enformés, après la mort de leur père, par Adhadhaldoulat ſe ſauverent de leur priſon, et ſe miſent en campagne contre Samſamaldoulat, qu'ils prétendoient avoir uſurpé des Etats qui leur appartenoient.* Elmacin *e*) duos tantummodo filios Azeddaulae, qui ab Adadeddaula capti erant, commemorat, Abu Nasrum et Abul Caſemum, qui eo autore cuſtodibus corruptis, elapſi magnam contraxerunt exercitum, quocum contra Samſameddaulam profecti ſunt. *Mais ces ſix princes ne furent pas heureux dans leur entrepriſe. Car Abou Ali, fils d'Ostad Hormuz, Général de Samſamaldoulat, les défit dans une rencontre qu'il eut avec eux et les fit tous ſix priſonniers. Ce Sultan ayant entre ſes mains les ſix priſonniers qui ſon Général lui avoit envoyez, il fit mourir deux et envoya les quatre autres dans un chateâu, où il les fit garder très étroitement. Mais cette exécution cauſa la rupture de la paix qui avoit été conclué entre les deux Frères; deſorte que' Abou Ali, Général de Samſamaldoulat l'ainé, marcha auec une puiſſante armée contre Bahaaldoulat le cadet, et il remporta de ſi grands avantages ſur lui, qu'il lui laiſſa peu d'eſpérance de conſerver ſes Etats, lorsque l'on apprit la vouvelle que Samſamaldoulat avait été tué par un de ſes quatre frères priſonniers, qui avoit été tiré de priſon par la Milice mutinée, faute de paye. Ce fils d'Azzaldoulat Bakhtiar portoit le nom d'Abou Naſſer, et fit ſon coup à une lieue de la Ville de Schiraz, l'an 388 de l'Hegire, après que Samſamaldoulat eut regné neuf ans et huit mois en Perſe.* Teixeira *f*) hanc quoque rem multo aliter enarrat. Cum inter duos fratres. (ita refert ille) qui, vt ſupra commemorauit, coniunctis viribus Emiri al Omrah honore functi fuerant, inimicitia intercederet, Samſameddaula Abu Alium (quem Teixeira Boaly appellat) cum exercitu contra Bahaeddaulam mittebat Iam Bahaeddaulae exercitus paene confectus erat, cum nuncius, milites, ſeditione de recuſato ſtipendio contra Samſameddaulam conflata, vt vindictam ab eo ſumerent, filios Bochteiari, in carcere incluſos, liberaſſe, ad eum perueniret. Tum

e) Elmac. hiſt. Sarac. p. 255 et 256.

f) Teikeir l. c.

milites vna cum e carcere emissis Schirazam versus, in quam vrbem Samsameddaula confugerat, (*illegatosele luego mucha mas gente dieron un assato en Xyraz, Xamsdaule que dentro estava se huyo* etc. ex quo loco apparet, Samsameddaulam regiam sedem habuisse Bagdadi) profectos, illum duos parasangas ab vrbe comprehensum et in eam reductum vna cum matre interfecisse. Abu Ali, de sui principis morte certior factus, officia offerebat Bahaeddaulae, qui eum lubentissime excipiebat. Sed haec refert Herbelot tali modo g): *Cette mort (Samsameddaulae) fit, qu'Abu Ali, Général des troupes de Samsameddoulat, prit son parti, et joignit à ses troupes les depris de celles de son ancien maitre. Le Sultan Bahaeddoulat fortifié par cette jonction, rentra dans l'Iraque Arabique qui lui avoit été enlevée: mais Abu Nasser, cependant, après avois fait perir Samsameddoulat, s'étoit rendu maitre de la province Fars, ou de Perse, et s'y maintenoit avec ses autres frères.* Hic est fortasse ille Abu Nasser, quem, vt iam supra diximus, Bar Hebraeus Emirum al Omrah appellat, adeoque eius imperium Schirazae cum Emiratu Bagdadi confudit. Coniectura comprobari videtur hisce: *Bahaeddoulat se trouvant en main des forces considerables, voulut venger la mort de son frère et envoya Abu Ali avec une puissante armée contre Abu Nasser.* Nonne liceat, de Abu Alio cogitare, quem Abulfaragius filium Scharfeddaulae appellat, et quoque in Persidem missum fuisse, refert? Sed coniicio tantum. *Ce Général eut bon marché de ses ennemis, dont les troupes n'étoient commandées que par de jeunes Princes: car il les fit tous prisonniers de guerre, à la reserve d'Abu Nasser, qui eut assez de bon heur, pour se sauver. Cependant quoyque ce Prince ne tombat pas entre les mains de son ennemi il lui en coûta neanmoins la perte de ses Etats, et la vie de ses frères. Bahaeddoulat entra donc triumphant dans la ville de Schiraz, capitale de la Perse, et resolut en même tems de faire poursuivre Abu Nasser par un autre de ses Generaux nommé Muffik. Ce Prince s'étoit enfermé dans Gireft ou Sireft, ville de la province de Kerman: mais dèslors qu'il en vit approcher Muffik, il ne s'y crut plus en sûreté, et s'ensuit dans la montagne. Cet fut là qu'il trouva un ennemi encore plus dangereux que celui qui le poursuivit: car un de ses domestiques, qui avoit reçu autrefois quelque mécontentement de luy, luy ôta la vie, et*

g) Herbelot. bibl. orient. T. I. p. 328.

porta ſa tête à Muſſik. Ainſi mourut ce Prince, laiſſant la paiſible poſſeſſion de tous ſes Etats à Bahaeddoulat ſon parent, qui en joüit jusqu'en l'an de l'Hegire 403 *de I. C.* 1012. Nonne forte idem Abu Naſſer ſit, cui, vt Abulfaragius monet, capto, a. 380 Bahaeddaula in imperio ſuccedebat?

Poſt hanc longam ab Abulfeda digreſſionem, quae tamen perſpicuitatis et claritatis cauſa mihi facienda erat, ad illum reuertamur et videamus de caeteris, quae de Bahaeddaula enarrat:

§. 6.

Diſſidia Bagdadi.

Anno 379 *ſimultates inter Turcas et Dailomitas fiebant, et per quinque dies caedes perpetrabantur. Bahaeddaula manſit in palatio, et homines, qui pacem reſtituerent, emiſit. Sed fruſtra. Diſſidia inter illos durabant duodecim dies. Tum Bahaeddaula ad partes Turcarum tranſiit, quo facto Dailomitae, nimis inualidi, pacem inire coacti ſunt. Ab eo inde tempore Turcarum potentia aucta, Dailomitarum vero diminuta eſt.*

Hunc tumultum Bagdadi nullus alius ſcriptor retulit, ſed de ſequente re plures ſcripſerunt:

§. 7.

Hamdanidarum Mauſelam reditus.

Abu Taher Ibrahim et Abu Abdalla Hoſain, Naſereddaulae filii, apud Scharfeddaulam Bagdadi ſtipendia meruerant. Poſt eius mortem, cum Bahaeddaula imperium accepiſſet, ab eo veniam, vt Mauſelam redirent, petiere: quae quidem a Bahaeddaula iis tribuebantur. Quamuis ab vrbis praefecto iis reſiſtebatur, tamen ciuium auxilio, Mauſela potiebantur, vbi, illo cum exercitu, qui, vt eos expelleret, miſſus fuerat, vsque ad Bagdadum profligato, imperium ſtabiliebant.

Idem refert quoque Abulfaragius *h*) paucis quidem verbis, ſed ab Abulfeda in enarrandis Mauſelae fatis valde discrepans. Nam Abulfeda autore Bad, Daiar Becri princeps, qui, vt vult Abulfaragius, iam ſub Scharfeddaula Mauſelam occupauerat, imperante Bahaeddaula demum, cum Hamdanidae iam illa vrbe potiti fuiſſent, iis Mauſelam eripere ſtudebat; ſed expeditio vitam ei abſtulit. At-

h) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 322.

tamen Hamdanidae, vt narrat Abulfeda, iam ſequente anno ab Oicalitis, qui ab eo inde tempore imperium Mauſelae tenebant, expulſi ſunt.

Tandem aliquando Chalifae, qui ſub Emirorum al Omrah imperio raro, niſi cui munus ipſi fatale, ridiculis adhibitis caeremoniis, committit, vel ab eo, vix creato, depellitur imperio, commemoratur, mentio habenda eſt. Abulfeda de Taiae abdicatione haec refert:

§. 8.

Taiae lillah abdicatio.

Anno 381 *Bahaeddaula Taiam lillah, quia eius diuitiis inhiabat, comprehendebat. Cum Bahaeddaula id pararet, a Taia, vt foedus cum eo renouaret, veniam petiit. Taia ſedebat in ſolio. Dailomita quidam ingreſſus, ſe Chaliſae manus oſculaturum eſſe, ſimulauit, adeoque eum e ſolio detraxit. Chaliſa exclamauit:* ſumus de Deo, et ad Deum reuertemur. *Taia transportatus eſt ad aedes Bahaeddaulae, qui homines teſtes illius abdicationis aduocabat.*

Ita tradit quoque Elmacin *i*) et Abulfaragio autore *k*), Taia abdicationem nomine ſubſcripto confirmare coactus eſt. *Chaliſatus ſeptemdecim annos, octo menſes, et aliquot dies durauerat l*). Poſtquam Cader imperium ſuſceperat, Taia ad eum transferebatur et in ipſius domo, donec nocte diei feſti Fetri obibat, manebat. Elmacin, eum in carcere mortuum eſſe, refert. Conſentit cum eo Herbelot ex Khondemiro *m*). Renaudot, Bahaeddaulam Chalifam imperio depuliſſe, quod quendam familiariſſimorum amicorum in vincula dari iuſſiſſet, perhibet *n*).

---

i) Elmacin. hiſt. Sarac. p. 243.

k) Bar Hebraei chron. ſyriac. p. 205; hiſt. dyn. p. 324.

l) Elmac. ſeptemdecim annos, nouem menſes et octo dies; — Teix. p. 286: ſeptendecim annos, et duos menſes; Deguignes p. 330: ſeptemdecim annos, nouem menſes et ſex dies.

m) Herbelot. T. III. p. 473.

n) Renaudot. hiſt. Patr. p. 385 et 386.

§. 9.

Cader billah Chalifa.

Abul Abbas Ahmed, filius Emiri Ishaki (ابو العباسا احمد بن الامير اسحق), *filii Moctaderi, filii Matadedi, vigesimus et quintus Abbasidarum fuit. Cum in Batiha i. e. in lacubus, vt supra memorauimus, versaretur, Bahaeddaula sibi familiarissimos, vt eum aduocarent, mittebat. Propius eo Bagdadum accedente, Bahaeddaula et regni proceres, vt eum excuperent, excessere. Cader* (قادر) *duodecimo die mensis Ramadani in Chalifarum aedes introibat, quo facto sacramentum ei dicebant; tredecimo die mensis Ramadani preces ei factae sunt.*

Abulfaragius *o*), Caderum forte, cum legati Bahaeddaulae ad eum venirent, somnium, quod antecedente nocte Chalifatum ei osttendisset, hospiti narrasse, refert; cuius quidem somnii ratio, qua ille in Batiham venerat, causa exstare poterat. Herbelot *p*) illud somnium memoriae prodidit, et Marigny id descripsit.

Quamuis nouus Chalifa, vt eius antecessor, connubio cum filia Emiri al Omrah eius gratiam sibi conciliare studebat *q*), tamen ex huius historia apparet, vt minus, quam Chalifae ante eum, ab illius arbitrio penderet; cuius quidem diminutae seruitutis causa forte fuit, quod Bahaeddaula propter bella ei contra suos fratres gerenda, quae iam in tempus, quo Cader regnabat, incidunt, saepissime Bagdedo abesse coactus erat. Caeterum animaduertendum est, Emiri al Omrah potestatem iam nunc delabi. Exemplum delapsae illius autoritatis refert Abulfeda, dum pergit:

§. 10.

Anno 382 *exercitus contra Bahaeddaulam seditionem fecit, quod Ebn Moallam* (ابن المعلم) *totum regnum imperabat. Bahaeddaula igitur illum comprehensum militibus tradebat, a quibus interficiebatur.*

Admirandum est, vt, turbulentis illis temporibus, litterae tamen Bagdadi florerent. Abulfeda certe magnum doctorum, nume-

---

o) Abulfarag. hist. dyn. p. 322.

p) Herbelot. bibl. orient. sub titulo Cader.

q) Elmac. p. 254 cf. c. Omm. Iah. vbi plane aliud inuenies "Sultani Mahmudis, cum quo pacem fecit, filium vxorem duxit." De Mahmudo illo v. Teix. p. 299 sqq.

rum appellat. inter quos magnus Fachreddaulae Vezirus, praesertim ob bibliothecam eximiam celeberrimus, excellebat. Ille fuit quoque, qui maxime, vt Fachreddaula post fratris Movaieddaulae obitum in suas terras rediret, pugnauerat; quo facto sub illius principis vmbra vsque ad annum 385 litteris operam nauabat. Duobus annis post Abul Casemi mortem praeterlapsis, Fachreddaula ipse in arce Tabarak obiit *r*), dum ei filius Madschdeddaula (مجد الدولة) Abu Taleb Rastam (ابا طالب رستم) successit; pro quo, quatuor annos demum nato, mater imperio praeerat *s*). Praeterea Abulfeda vsque ad annum 394 nihil ad nos pertinens refert, nisi bellum, cui Bahaeddaula cum Oicalita Carvascho implicitus erat, in quo victoria primum penes Oicalitam, deinde vero penes Bahaeddaulam erat (a. 392) *t*) Anno 394 noster exemplum auctae Chalifae auctoritatis et aliud non in honorem Caderi animi enarrat.

§. 11.

Eo anno Bahaeddaula Scharifo Abu Ahmedi Musufio, patri Scharifi Radii, munus Nakibi u), quod antea Alidis per Iracam fuerat, commisit, simulque eum supremum iudicem fecit. Filius Schidani codicillos ei expediuit et titulum Dul Manakeb (ذا المناقب) *indidit v). Sed Chalifa supremum iudicem eum eligi noluit.*

Num Taia recusationem talem sine fraude audere potuisset?

---

r) cf. Abulfed. pag. 598; Elmac. p. 255; Abulfarag. hist. dyn. p. 333. De ratione mortis v. praesertim Teixeiram p. 285: "hallandose en el anno de 378 (387?) en Tabarak fortaleza suya, estando comiendo se metio desordenadamente en vaca assada, y se harto sobre ella de vuas, dedonde se le causo un tan terrible dolor de estomago que en pocas oras acabó, dexando muy poco sentimiento en su muerte por las tiranyas que en su vida havia vzado." —

s) cf. Abulfed. ad ann. 392.

t) cf. Abulfed. 387 p. 598 c. p. 616 ad ann. 398. Fuse de Madschdeddaula narrat Teixeira p. 287 seqq.

u) v. Reisk. adnot. h. l. p. 790 de illo munere et Ricaut hist. Imp. Ottom. II. 6. p. 274.

v) v. Reisk. not. l. ad h. l. qui illud cognomen ex Merzukio ita explicat, vt *virtutibus praeditum* significet. Sed fortasse est ذا المناقب *possessor muneris Nakibi*, ita vt noster respiciat ad illud munus.

Eodem anno *x*) Cader ingrati animi ignominiam ſibi contraxit, dum Batihae principem, ſuum hospitem quondam, qui, a perfido Veziro expulſus, regnum ſuum relinquere coactus erat, ne Bagdadi quidem excepit. Multo aliter egit in eadem re Bahaeddaula. Nam Mohaddebeddaulam, dum Vezirus iſte a Batiha Basram verſus profectus erat, nec Abul Abbas, Vazeli filius, quem vicarium in Batiha reliquerat, munus tueri poterat, per Emirum Iraki Amid-al-Dſchoiuſchum (عميد الجيوش) in Batiham reduxit; pro qua opera ille ei in ſingulum annum quinquagies mille denarios conferre obſtrictus erat. Haud ita multo poſt Abul Abbas occiſus eſt, vt enarrat noſter:

§. 12.

Anno 397 Bahaeddaulae cum Ebn Vaſelo intercedebant ſimultates, quarum exitus erat, vt hic Basram fugere cogeretur. Sed inde quoque fugere coactus et captus ad Bahaeddaulam abductus eſt. Bahaeddaula vero illum, priusquam ad eum veniret, interfici iuſſit. Deciſum caput in Chuziſtanam ei miſſum eſt. Vaſetae enim decimo die ſecundi menſis eum interfecerant.

Ex hac igitur re forte fortuna, Emirum al Omrah ſedem Bagdado in Chuziſtanam transtuliſſe, comperimus. Clarius, Bahaeddaulam ab vrbe abfuiſſe, ex eo patet, quod Abulfeda ad annum 401 (nam vsque ad hunc annum nil memoria dignum reperio) cum nobis communicauit.

§. 13.

Anno 401 Amid-al-Dſchoiuſch, filius Iſtadi Hormozi (بن استاذ هرمز), *qui nomine Bahaeddaulae Emir erat, mortuus eſt. Cum Bagdadi res turbidae eſſent, ille, a Bahaeddaula in vrbem miſſus, pace reſtituta, ſeditioſos ſedabat. Poſt illum (quem Bahaeddaula breui tempore ante eius mortem contra Carvaſchum, principem Oicalitarum Mauſelae, qui pro Aliaïs, Aegypto dominantibus, et praeſertim pro Hakemo vota nuncupare iuſſerat y), vt eum caſtigaret, miſerat) Bahaeddaula Fachr-al-Malk Abu Galebum* (فخر الملك ابا غلب) *Bagdado praefecit.*

---

x) v. Abulfed. p. 610 et 612.

y) v. Abulfed. T. III. p. 6; Bar Hebr. p. 216; Elmac. p. 257.

§. 14.

Bahaeddaulae mors.

Anno 403 *decimo die ſecundi Dſchamadi Bahaeddaula Abu Naſr Chaſchad, filius Adadeddaulae, Buida, ex eodem morbo, ex quo eius pater mortuus erat, epilepſia nempe, obiit. Mortuus eſt Ardſchanae, et Iracae imperium tenuit. Vixerat quadraginta et duos annos, et nouem menſes, regnauerat vero viginti et quatuor annos et ſex menſes* z).

Ommia Iahhia eum anno 404, poſtquam viginti et quatuor annos cum ſex menſibus regnaſſet, obiiſſe, contendit *a*). Teixeira autore quadraginta et duos annos natus, poſtquam viginti et quatuor annos regnauerat, deceſſit *b*).

§. 15.

Soltaneddaula Emir al Omrah.

Poſt Bahaeddaulae obitum eius filius Soltaneddaula Abu Schodſchaa (سلطان الدولة ابو شجاع) *regnauit.*

Anno 406 (vsque ad hunc annum nihil ad nos pertinens refert Abulfeda) *Soltaneddaula, filius Bahaeddaulae, huius vicarium Iracae, Fachr-al-Malk Abu Galebum, de loco ſuo deiectum, primi veris menſis fine, quinquaginta et duos annos natum, poſtquam Iracam quinque annos et quatuor menſes aliquotque dies regnauerat, interfecit. Inuenit apud eum mille millenarios denarios. Comprehenderat eum vero Ahvazae. Abu Mohammedem Haſanum, Sahlani filium, Vezirum creauit.*

Iſtius crudelitatis noui Emiri al Omrah nullus alius ſcriptor mentionem infert. De Soltaneddaula valde diſſentiunt ſcriptores, dum tamen Perſici multo clarius atque diſtinctius, quam Arabici, narrant. Abulfeda ne ſedem quidem illius Emiri al Omrah indicat, quamuis, vt e ſequentibus apparebit, ille haud Bagdadi verſabatur. Elmacin *c*) paucis verbis, illum ſedem Schirazam transtuliſſe, tradit, cui aſſentatur quoque Herbelot autore Khondemiro *d*). Mor-

---

z) Elmac. p. 217: 23 a. 11 m. cf. quoque Deguignes p. 407.

a) Omm. Iah. p. 75.

b) Teixeir. p. 286.

c) Elmac. hiſt. Sarac. p. 257.

d) Herbelot. bibl. orient. T. III. p. 349 "Il étoit dans la ville d'Aragian, lorsque ſon père Bahaaldoulat mourut dans la Perſe, où il regnoit, et

tuo Bahaeddaula, eius filii, vt perhibet Herbelot, imperium relictarum terrarum ita inter se diuisere, vt Soltaneddaula propriam Persidem acciperet et Schirazae sedem haberet, dum eius frater Basram et Iracam (nomen illius fuit Dschalaleddaula), alter vero frater Moscharrefeddaula Kermanam regnabat. At Teixeira *e*) velle videtur, Soltaneddaulam sedem Bagdadi habuisse, dum, Herbeloto repugnans, Dschalaleddaulae Schirazam adsignat. Moscharrefeddaulae, quem cum Abul Favare, cuius Abulfeda demum post mortem Soltaneddaulae mentionem habet, confundit, Kermanam, vt Herbelot, tribuit. Haec certe ex Abulfedae enarratione patent, Soltaneddaulam haud a primo imperii initio Bagdadi fuisse, sed postea demum, rerum necessitate coactum, in illam vrbem sese contulisse. Nam pergit noster:

Anno 408 *Soltaneddaula, Bagdadum profectus, tympana tempore quinque solemnium precationum pulsari, iussit. Adadeddaula, illud tempore solemnium precationum ter fieri, instituerat.*

Vsque ad annum 411 Abulfeda de Soltaneddaula nihil refert. Herbeloto vero autore *f*), interim ille bellum contra Moscharrefeddaulam, qui seditionem contra eum fecerat, gessit. A. 409 tamen a fratre ad malam pacem adactus est.

Quemadmodum Teixeira partitionem terrarum Bahaeddaulae multo alio modo, quam caeteri scriptores, definit: ita in enarrandis fratrum dissidiis ab illis discrepat. Eo enim autore *g*) Favares (Moscharrefeddaula) Schirazam, fratre Dschalaleddaula absente, occupat. Soltaneddaula vero, de illa re certior factus, Abul Fa-

---

vint aussitôt, après qu'il eut reçu la nouvelle de sa mort, en la ville de Schiraz pour prendre possession de la Couronne de Perse, et pour contenter ses deux frères, il envoya Gelal aldoulat commander de sa part dans la ville de Basrah ou Bassorah, et dans toute l'Iraque Babylonienne ou Arabique, qui est la Chaldée, et donna aussi le Gouvernement de la Province de Kerman à Maschrafaldoulat, son autre frère.

e) Teixeir. p. 307. "dixose atras como Bahaodaule murió en tierras de Ariam, a quien succedio Sulton daule su hijo que luego mandò para Xyraz Gelala daule su hermano, y otro llamado Abul favares para Kermon."

f) Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 349.

g) Teix. l. c.

varem in Kermanam ſeſe recipere cogit, vnde quoque eum profligat. Exſul ad Iamineddaulam, Chorazanae regem, confugit *h*), qui quidem benigne inopem excipiens, eum non ſolum multis copiis ad recipiendam Kermanam adiuuat, ſed etiam Schirazam ei adiicit. Sed vix Soltaneddaula nuncium de illa re acceperat, cum ſtatim Favarem denuo in alienorum principum auxilio ſalutem quaerere cogeret. Poſtremo Dſchalaleddaula, qui tum Basrae erat, dum ſuas terras inter fratres diuidebat, diremit illorum controuerſiam. Quo facto pactio, ex qua Abul Favares Kermanam recipiebat, facta eſt.

§. 16.

Anno 411, vltimo menſe, exercitus Bagdadi contra Soltaneddaulam tumultuabatur. Emir al Omrah igitur Vaſetam fugere parabat, ſed exercitus, vt antea ſuum filium vel fratrem Moſcharrefeddaulam (مشرف الدولة) *Imperatorem militibus praeficeret, poſtulabat. Itaque Moſcharrefeddaulam fratrem Iracae praefecit; quo facto, Bagdado relicta, Vaſetam ſeſe contulit, dum in via Sahlanidem Vezirum ſibi eligebat. De qua creatione Moſcharrefeddaula fratri ſuccenſuit.*

Ex Abulfedae enarratione cauſa, ob quam Soltaneddaula Veziro illo facto Moſcharrefeddaulae bilem commouerat, haud intelligitur. Herbelot cauſam adiecit *i*).

Tum Soltaneddaula Vezirum Sahlanidem, vt Moſcharrefeddaulam ex Iraca expelleret, miſit. Sed Moſcharrefeddaula, Veziro obuiam factus, eum proelio victum captumque obcaecauit.

§. 17.

Moſcharrefeddaula Emir al Omrah.

De qua re Soltaneddaula certior factus, animo fracto, cum quadringentis equitibus Ahvazam aufugit. Ita Moſcharrefeddaula imperium

---

h) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 334: وملك يمين الدولة خوارزم

i) Herbelot l. ſup. c. "La paix ne peut pas ſe faire entre eux, qu'à condition que Moschrafaldoulat ſoit déclaré Lieutenant Général de ſon frère Solthan al doulat dans l'Iraque Arabique, ſans qu'il pût ſe mêler en aucune manière des affaires de la Perſe, ni de l'Ahvaz, et que ni l'un, ni l'autre de ces deux Sultans ne pourroit prendre pour Vizir Ben Sahelan, qui étoit l'Auteur de leur diviſion et qui avoit fomenté la guerre entre eux."

ſuum in Iraca fulſit, et, precibus Soltaneddaulae ſilentibus, illi primo menſe anni 412 exeunte vota nuncupata ſunt.

Hic quoque Teixeira ab aliis ſcriptoribus discrepat; ſed quod praecipue attinet ad ea, quae de Dſchalaleddaula ſcripſit, haud clara atque diſtincta appellari poteſt relatio.

Anno 413 inter Moſcharrefeddaulam eiusque fratrem Soltaneddaulam ea conditione, vt tota Iraca Moſcharrefeddaulae, Kermana vero et Perſis fratri Soltaneddaulae eſſet, pax conuenit.

Accuratiſſime in determinando tempore et deſcribendis pacis conditionibus cum noſtro conſpirat Herbelot *k*).

§. 18.

Eodem anno Moſcharrefeddaula Abul Haſanum, filium Haſani Rochadſchitae, Vezirum fecit eique titulum Moviad-al-Malk (مويد الملك) *tribuit. Laude eum Mahiar aliique poetae ornant. Aedificauit Vaſetae noſocomium eique idoneos curatores praefecit. Veziratum renuerat, ſed Moſcharrefeddaula eo anno ad illum accipiendum eum adegerat.*

Attamen haud diu ille honore gauiſus eſt. Nam pergit noſter:

Anno 414 Moſcharrefeddaula, Veziro Rochadſchita comprehenſo, in eius locum Abul Caſemum Mograbicum vel Occidentalem (المغربي), *(nomen eius fuit Hoſain) quem, Carvaſchi Vezirum fuiſſe, ſupra diximus, ſubſtituit.*

§. 19.

Mors Soltaneddaulae.

Anno 415 menſe Schualo Soltaneddaula Abu Schodſchaa, filius Bahaeddaulae Abu Naſri, filii Adadeddaulae, Schirazae viginti et duos annos aliquotque dies natus l) obiit. Tum eius frater Cavameddaula Abul Favares (قوام الدولة ابو الفوارس), *Kermanae princeps, Perſidis imperio potitus eſt. Abu Calidſchar* (ابو كاليجار), *filius Soltaneddaulae, Ahvazae verſatus, contra patruum profectus eſt. Fuſo hoc fugatoque, Schirazam cum patris imperio Perſidis ille ſibi ſubiecit. Tum eum patruus Abul Favares ex vrbe expulit. Sed Abu Calidſchar, reverſus, patruo Cavameddaula*

---

k) Herbelot. l. c.

l) Elmac. p. 262 et Deguignes p. 407 illum trigeſimo et ſecundo vitae anno mortuum eſſe, dicunt.

exacto, denuo vrbem regnauit. Nunc patris imperium firmissime sibi confirmauit ac stabiliuit.

Elmacin refert, Soltaneddaulam, morbo oppressum, filium (Abu Calandscharum (ابو كالنجار) appellat eum ille scriptor) successorem suum destinasse, cui statim preces fierent. Exercitum vero decretum mutasse et Abu Calandschari patruo (appellatur ab Elmacino Scharfeddaula) vota nuncupasse. Tum duos illos de principatu incerta fortuna decertasse, donec tandem Abu Calandschar Schirazam occupasset, Scharfeddaula vero Bagdadi mansisset. Elmacin hic aperte Moscharrefeddaulam cum Cavameddaula confudit: ille enim, quem Scharfeddaulam Alium appellat, sane Moscharrefeddaula Abu Ali, Bagdadi Emir al Omrah, fuit *m*). Sed pergit Abulfeda in enarranda morte Moscharrefeddaulae:

§. 20.

Mors Moscharrefeddaulae.

Anno 416 primo Rabia Moscharrefeddaula, Abu Ali, filius Bahaeddaulae, tres et viginti annos aliquotque menses natus, decessit. Regnauerat quinque annos et quindecim dies. Iustus et comis fuit.

Pari vitae aetate ille Scharfeddaula, ab Elmacino commemoratus, moritur. Post eius mortem Bagdadi res nouae fiebant. Istarum Bagdadi seditionum mentionem quoque infert Teixeira *n*). Apud Ommiam Iahhiam res confuse traduntur *o*).

§. 21.

Anno 417 Turcae Bagdadi saeuientes vario modo insolenter et violenter incolas tractabant, ita vt angustia magna atque peruersitas esset. Grassatores, qui in vrbe exsurgebant, petulantiam contra populum exercebant, quod hic Moscharrefeddaulae obitu rectore priuatus erat.

---

m) Abulfarag. hist. dyn. p. 335 et 337 adnotat, Moscharrefeddaulam quoque Scharfeddaulam appellari.

n) Teixeir. p. 311.

o) Omm. Iah. p. 75 et 76. Eo autore Moscharrefeddaula iam a. 414 obiit. Cf. quoque Herbelot p. 350.

§. 22.

Dſchalaleddaula Abu Taher Rex.

Anno 418 *Dſchalaleddaula Abu Taher* (جلال الدولة ابو طاهر), *filius Bahaeddaulae, ab oppido Basra, Chaliſae, qui, Soltano exutus, Bagdadi praedationibus et violentiis premebatur, iuſſu, a militibus aduocatus, in auguſtam vrbem ſeſe contulit. Tertio die menſis Ramadani a Chaliſa extra vrbem exceptus, ſacramento dato acceptoque, Bagdadum intrauit. Tum Dſchalaleddaulae Bagdadi imperium confirmabatur.*

Hoc quidem Abulfeda iure meritoque addere poterat: nam autore Teixeira *p*) Dſchalaleddaulae imperium Bagdadi non ſtatim firmum et ſtabilitum fuit. Refert ille Hispanicus ſcriptor ita: Cum Dſchalaleddaula, ſtatim poſt Moſcharrefeddaulae mortem (a. 416) ab vrbe Basra Bagdadum Imperator aduocatus, paulo cunctaretur, alii poteſtas demandabatur. Dſchalaleddaula, de ea re ira accenſus, exercitum contra Bagdadum duxit. Chalifa illius animum ſedare ſtudebat, ſed fruſtra. Proelio facto, Dſchalaleddaula, multis militibus perditis magnaque praeda hoſtibus relicta, victus Basram ſeſe recipere coactus eſt. Mox tamen a Turcicis militibus, qui Bagdadi res (a. 417) tantopere perturbauerant, in vrbem reuocatus, a Cadero honoris inſigniis ornatus eſt (a. 418).

Elmacino autore *q*), Dſchalaleddaulae turbulentis temporibus imperium quidem committebatur, ſed paulo poſt milites ab eo deſciscebant; quo facto preces Abu Calidſcharo factae ſunt. Dſchalaleddaula, de ea re certior factus, copiis contractis, Basrae ſeſe muniuit, et anno 422 demum Bagdadum in poteſtatem ſuam redegit. Tum ſumma poteſtas a Caiemo Biamrilla in eius manibus ſolemniter poſita eſt.

Abu Calidſcharum cum patruo de principatu concertaſſe, quod quoque Herbelot *r*), quamquam illius nomen haud appellat, deſignare videtur, a Teixeira fuſe traditur *s*).

---

p) Teix. p. 310 et 311.

q) Elmac. hiſt. Sarac. p. 261 et 266.

r) Herbelot. bibl. orient. T. II. p. 89.

s) Teixeir. p. 311 et 312.

§. 23.

Cavameddaulae mors.

Anno 419 mense vltimo, Kermanae princeps, Cavameddaula Abul Favares, Bahaeddaulae filius, obiit. Tum Abu Calidschar, Persidis princeps, Soltaneddaulae filius, contra quem ille bellum gesserat, Kermanam sine vi occupauit.

Teixeira, Cavameddaulam, rebus in Perside tum perturbatis vsum, expeditione bellica in eam suscepta, in itinere mortuum esse, perhibet *t*).

§. 24.

Mors Chalifae Caderi billah et Chalifatus Caiemi beamr-allah.

Anno 422 vltimo mense Cader billah Abul Abbas Ahmed, filius Emiri Ishaci, filii Moctaderi, postquam per quadraginta et vnum annos atque vnum mensem Chalifatum gesserat, sexaginta et octo annos decemque menses natus, obiit.

Recte addit Elmacin *u*), tam longum Chalifatum nulli alii ante eum contigisse. Eius vitae aetatem vsque ad octoginta et sex annos aliquotque dies *v*), Abulfaragius vero in chron. Syriac. *x*) vsque ad octoginta et septem annos effert; sed in hist. dyn. idem scriptor cum Elmacino concordat *y*). Mores mortui Chalifae laudantur *z*).

Post illius mortem eius filius Caiem beamr-allah Abu Dschaafar Abdalla in Chalifarum solio sedebat. Iam pater illum successorem suum destinaverat eique Chalifatum iurauerat; quod quidem iusiurandum nunc tantummodo renouabatur.

---

t) Teixeir. p. 311 et 312.

u) Elmac. p. 263; Renaudot. hist. Patr. p. 417.

v) Deguignes p. 330.

x) Bar Hebraei chron. Syriac. p. 225.

y) hist. dyn. p. 338.

z) cf. Elmac. l. c., Abulfarag. l. c., Herbelot I, p. 443, Renaudot p. 398: "Kalifa Kaderus, qui hanc dignitatem tenuit vsque ad annum 422um, Bagdado conclusus, literas inuestiturae concedebat inuasoribus Prouinciarum: et anathemata vibrabat in Karmatianos, Fatimidas, alios tandem omnes, qui eius auctoritatem reiiciebant."

Idem refert quoque Elmacin *a*).

Caiem, pergit Abulfeda, *Abul Hasanum Mavardensem ad regem Abu Calidscharum, vt foedus cum eo in ipsius gratiam iniret, misit. Vota ei per regnum nuncupata sunt.*

Chalifa cum Calidscharo, Schirazae principe, nec cum Dschalaleddaula, Bagdadi Emiro, foedus iniit. Ex hac re Emirorum al Omrah potestatem iam delapsam fuisse, cerni potest. Maxime tamen illorum diminuta autoritas ex iis intelligitur, quae nunc Abulfeda nobis enarrat:

§. 25.

Anno 423 praesidia Bagdadi, seditione contra Dschalaleddaulam conflata, non solum eius palatium praedabantur, sed ipsum quoque Bagdado expellebant, dum regi Abu Calidscharo, vt in vrbem veniret, dabant litteras; qui quidem cunctabatur. Iam Dschalaleddaula Ocbaram sese contulerat. Tum, pace restituta, Dschalaleddaula Bagdadum reversus est.

Teixeira illius seditionis quoque mentionem habet, eamque pari modo describit *b*).

§. 26.

Anno 426 Chalifae et Emiri Bagdadi imperium dissolutum est. Potentia enim perditorum hominum tanta fuit, vt noctu vel etiam interdiu ciuium res diriperent, nec vllus eos prohibere posset. Dschalaleddaula eorum potentiae impar fuit, ita vt ipsius praeceptis aures non praeberent. Chalifa multo debilior, quam ille, fuit. Arabes, in regno vagantes, regiones praedabantur et latrocinia faciebant.

Ecce! celerrime nunc Emiratus supremus ad interitum adproperat. Nunquam Bagdadi silebant militum tumultus, quod Dschalaleddaula, omni auctoritate destitutus, eos sedare non valebat. Abu Calidschar quoque, quamuis aliquid potestatis retinebat, mox tamen illa plane priuatus est. Iam enim Seldschukidae in lucem prodire incipiunt.

---

a) Elmacin. pag. 266.

b) Teixeir. p. 320.

§. 27.

Inimicitiae Caderi cum Dſchalaleddaula.

Anno 434 (vsque ad hunc annum nihil ad nos pertinens) *menſe Moharramo, cum Dſchavaliorum reditus* (افتتحت الجوالي) *Bagdadum allati eſſent, Dſchalaleddaula eos ſibi vindicabat. Mos erat, illos Chaliſae, regibus haud aduerſantibus, adferre. Caiem igitur de hac re Abul Haſanum Mavardenſem ad Dſchalaleddaulam miſit. Cum autem Dſchalaleddaula ei aures non praeberet, Chaliſa Bagdado abeundi conſilium capiebat; ſed conſilium non perfecit.*

Hoc nullus alius ſcriptor refert.

§. 28.

Mors Dſchalaleddaulae.

Anno 435 *menſe decimo Dſchalaleddaula Bagdadi obiit; morbus conſtabat in pulmonum exulceratione. Anno* 383 *natus, imperium Bagdadi ſextendecim annos et vndecim menſes tenuerat.*

Eo moribundo, ipſius filius Malek - al - Aziz Abu Becr Manſur (الملك العزيز ابو بكر منصور) *Vaſetae verſatus eſt; cui quidem exercitus ſtipendium, quod ſibi daret, praeſcripſit. Sed militum voluntati haud obtemperans ad plures reges, vt auxilium ab iis peteret, Carvaſchum ſcilicet et Abu Schaukum adibat; ſed ne vllus quidem eorum eum adiuuabat. Tum ad Nasreddaulam, Marvani filium, apud quem a.* 441 *Maiafarekinae exſpirabat, ſeſe contulit.*

Elmacin *c*) contra omnium caeterorum ſcriptorum teſtimonium, Manſurem reuera Dſchalaleddaulae in principatu ſucceſſiſſe, profert. Sed ille ſcriptor nunc breuius, quam vt eius narrationi fides addenda ſit, tradit. Teixeira perhibet *d*), Abu Manſurem, cui, Vaſetae verſanti, patris mortui imperium oblatum fuiſſet, tumultu, quominus Bagdadum veniret, fuiſſe prohibitum, ita vt ibi, cunctantem haud diutius exſpectantes, eius patruo Abu Calidſcharo imperium demandarent. Pergit igitur noſter:

§. 29.

Malek (rex) Abu Calidſchar.

Cum filio Dſchalaleddaulae imperium haud commiſſum fuiſſet, Malek Abu Calidſchar litteras ad praeſidia Bagdadi dabat; quo facto ſumma poteſtas ei affirmabatur.

c) Elmac. hiſt. Sarac. pag. 270. *d*) Teixeira p. 321.

Anno 436 ſecundo menſe primum Malek Abu Calidſcharo preces factae ſunt. Reges quoque Abu Schauk et Dobais, Maziadi filius, in ſuis terris, et Nasreddaula, Marvani filius, per Diar Becrum illius nomen in templis nuncupari iuſſere. Abu Calidſchar menſe Ramadano h. a. Bagdadum intrauit, quo tempore vrbs in eius honorem adornata erat.

Eodem anno Abu Calidſchar, vrbem Schirazam moenibus cingi iuſſit. Structura firma fuit validaque. Eius circuitus implebat duodecim vlnarum millia, in altitudine octo vlnas, in latitudine vero vndecim orgyias. Anno 440 opus perfectum eſt.

Nunc magis magisque Buidarum auctoritas in dies crescentis Seldſchukidarum potentiae ſplendore obscurata eſt. Iam enim Togrul-Bek ipſe Dſchardſchanam et Tabareſtanam occupauerat, per fratrem vero Ibrahim Inalum Hamadanam Carſchaſafo et Dainavarum Abu Schauko eripuerat, quin immo Simram illis terris adiecerat, ita vt Abu Calidſchar prae Seldſchukidae potentis metu a. 439, ex narratione Abulfaragii *e*) et Teixeirae *f*), foedus cum eo inire, immo, vt hic ſcriptor perhibet, ſuum filium cum Togrul-Beki ſobrina connubio coniungere ſeſe coactum videret.

§. 30.

Mors Abu Calidſchari et eius filii Malek-er-Rahimi imperium.

Anno 440 Malek Abu Calidſchar Marzaban in vrbe Dſchanaba Kermanae obiit. Nam ob praefecti Baharami Dailomitae defectionem in Kermanam profectus erat. Quamuis a Caſſr Modſchaſchaa inde morbo oppreſſus erat, tamen iter continuabat, ſed, febre inualeſcente, eius vires ita attenuatae erant, vt amplius equitare imparem in lectica portari neceſſe eſſet. Quadraginta annos aliquotque menſes natus, poſtquam in Iraca quatuor annos et duos menſes regnauerat, obiit in vrbe Dſchanaba. Tum eius filius Abu Manſur Falaſotun, qui eum comitatus fuerat, Schirazam reuerſus, eam regnauit. Cum fama de Abu Calidſchari morte Bagdadum perlata eſſet, ibi illius filius Malek-er-Rahim Abu Naſſr Chosru Fairuz, exercitu, quem conuocauerat, ſacramento adacto, Bagdadi imperium exercebat. Tum Malek-er-Rahim Schirazam milites miſit; qui quidem illius fratrem Abu Manſurem Falaſotun vna

e) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 344.
f) Teixeir. p. 321 et 322.

cum matre menſe h. a. Schualo comprehendebant. Malek-er-Rahimo Schirazae preces factae ſunt.

Elmacin *g*) et Abulfaragius *h*) paucis tantummodo verbis Abu Calidſchari mortem et Malek-er-Rahimi ſucceſſionem commemorant. Multo fuſius hanc rem enarrat Teixeira *i*), ſed ab Abulfeda discrepans. Eo enim autore Abu Calidſchar quoque in Kermana moritur, ſed quinque filios, quos autor Hispanicus Abu-Manſur fulad Sotun, Kozrrao Feruz, Abu Taher, Abucayd Aboaly, Kay Kozrrao appellat, relinquit. Sotun maximus natu Schirazam, vt patri in imperio ſuccederet, ſeſe conferebat, ſed Kozrrao Feruz, qui ibi erat, ſe ipſum imperatorem exclamari iubebat, ſimulque cum conditione nomen quoque mutans, ſeſe Malek Rhayem appellabat. Tum exercitum, ſuo fratre Abu Seyd duce, contra Sotunum miſit, dum ipſe cum aliis militibus eum ſequebatur. Cum haud procul a loco abeſſent, (cui, vt Teixeira eum appellat, nomen Stahhar fuit) vbi Sotun verſatus erat, omnes copiae ad illum tranſibant. Quo facto Rhaym Ahvazam reuerſus, eam quoque vrbem mox fratri, qui eum perſequebatur, relinquere coactus eſt. Poſtremo vna cum fratribus Abu Tahero et Abu Seydo Vaſetam ſeſe recipiebat, vbi bellum vsque ad annum 447, incerto Marte, continuabatur.

Sed reuertamur ad noſtrum:

Tum Malek-er-Rahim, Bagdado relicta, Chureſtanam profectus eſt, dum ei milites, qui ibi erant, praeſertim autem Corſchaſef, Alaeddaulae filius, Hamadanae princeps, obuiam ibant; qui quidem, ab Ibrahimo Inalo, Togrul-Beki fratre, Hamadanae imperio deſtitutus, ad Malek Abu Calidſcharum confugerat.

Anno 441 *Falaſotun, Abu Calidſchari filius, e carcere liberatus, magno exercitu contracto, Perſidem ſubegit.*

Interea res Bagdadi et circa eam in dies Buidis periculoſiores fiebant. Iam enim Togrul-Bek, magis magisque potentia crescens, Isfahanam expugnatam pro Raia ſedem regiam fecerat *k*),

g) Elmac. p. 270.
h) Abulfarag. hiſt. dyn. p. 344.
i) Teixeir. p. 322.
k) Abulfed. III. p. 132 et 134.

et, ab Abu Manſure Falaſotuno ipſius tutor agnitus, Schirazae in publicis precibus commemoratus erat, et Adridſchanam atque Tabrizam, cuius princeps Vaſchudan, vt omnes caeteri circumiectae regionis reges, ei ſua ſponte ſeſe ſubiecerat, ceperat, et, in Romanorum ditionem inuaſione facta, cum vrbem Malazerdam in Armenia expugnare haud valeret, vaſtationum veſtigia reliquerat, adeoque victor terribilis vrbem auguſtam propius propiusque accedebat. Bagdadi conditio ad illum excipiendum aptiſſima fuit. Sunnitae enim et Schiitae continuo odio viciſſim ſeſe perſequebantur, quo explendo maxima vrbis pars diruebatur. Huc accedebat Chalifae discordia cum quodam Baſaſirico, qui, autore Elmacino *l*), Mottafer Abu-Haras Raslan nominatus, tantam potentiam in Iraca ſibi conciliaverat, vt eius nomen per templa nuncuparetur, Malek er-Rahimo vero nil niſi nomen principis reſtaret; quod quidem Abulfedae narrationi non reſpondet. Hoc tamen certum eſt, vt praeſertim ob iſtam Chalifae cum Baſaſirico discordiam Togrul-Bek promtis paratisque animis Bagdadi exciperetur. Abulfaragio autore amor Dei cultus Togrul-Beko portas vrbis aperuerat *m*).

§. 31.

Togrul-Beki nomen in Bagdadi templis nuncupatur.

Anno 447 *Togrul-Bek Holvanam deſcendebat. Rumor eius aduentus magnam tripidationem Bagdadi exciebat, ita vt proceres ibi per legatos obedientiam et Chotbam ei offerrent; quod quidem Togrul-Bek accepit et Chalifa Caiem praecepit. Die vigeſimo et ſecundo menſis Ramadani h. a. publicae in ſacris concionibus preces ei factae ſunt. Tum Togrul Bek miſſis nunciis, vt Bagdadum intraret, veniam petiit. Viciſſim ad eum legatio, vt ab eo in Chaliſae Caiemi et Malek-er-Rahimi gratiam iusiurandum acciperet, miſſa eſt. Togrul-Bek, iureiurando dato, per portam Schamaſiam* (الشماسية) *Bagdadum intrauit.*

Vt perhibet Abulfaragius *n*), Togrul-Bek vrbem ipſam haud intrabat, ſed ante portam orientalem caſtra ponebat; tum autem,

---

l) Elmac. p. 271.

m) Bar Hebr. chr. Syr. p. 245.

n) Bar Hebr. chron. Syr. l. c.

cum Gazi, qui vrbem, vt ibi victum emerent, inierant, a Turcis atque Dailomitis, qui eos infestissimo animo persequebantur, armis peterentur, eorum Emiri Bagdadum equitabant, ibique in Turcas Dailomitasque saeuiebant.

§. 32.

Populus pugnat contra Togrul-Beki milites et Malek-er-Rahim capitur.

Cum Togrul-Bek Bagdadum intrasset, eius milites, vt commeatum necessarium emerent, in forum prodibant. Ibi contentioni cum quibusdam mercatoribus implicabantur. Accurrentes igitur illius vici habitatores, Gazos, ex Togrul-Beki militibus comprehensos, exspoliabant; hinc vera seditio inter eos fiebat, et populus in Togrul-Beki ipsius tentoria confluebat. Sed milites, equos conscendentes, populum fusum in fugam coniecere. Tum Togrul-Bek Chalifae per nuncium indicauit: se, si illud Malek-er-Rahimi iussu factum esset, hunc coram ipso adesse, haud tolerare posse, si vero ille sceleris purus esset, vt sine timore ad se veniret, ei permittere. Caiem Chalifa igitur ad Malek-er-Rahimum, vt vna cum multis proceribus ad Togrul-Bekum sese conferret, misit o). Chalifae praesidio freti illi paruere. Sed Togrul-Bek Malek-er-Rahimum et proceres, qui eum comitabantur, comprehendebat. Chalifa, de hac re iratus, ad Togrul-Bekum misit, dum conquerebatur de sua sanctitate violata et fide neglecta. Quo facto Togrul-Bek nonnullos quidem proceres dimisit, caeteros vero vna cum Malek-er-Rahimo captiuos retinuit p). Malek-er-Rahim igitur vltimus, qui ex gente Buidarum in Iraca regnabat, fuit.

---

o) Deguignes T. I. P. I. p. 408. "Après avoir été contraint d'en venir aux mains, il exigea que Malek-er-Rahim le vînt trouver; celui-ci refusa de le faire. Mais le Khalif le força, ainsi que plusieurs autres, à se rendre auprès de Thogrulbeg. Ce Prince en renvoya quelques-uns, et retint Malek er-Rahim, qui fut le dernier de la maison des Bouïdes dans l'Eraque."

p) v. Abulfed. pd. ann. 450, vbi narratur, Malek-er-Rahimum captivum in arce Siruna (السيروان) obiisse. Ommia Iahhia autore (v. p. 76) in arce Tabrak mortuus est.

Abulfaragius quoque fuſe illas Bagdadi tempeſtates deſcribit, ſed de Malek-er-Rahimi abdicatione nihil refert, immo ne nomen quidem illius commemorat.

Caetera omnia, quae Togrul-Bek cum Chalifa agebat, ſecundum finem, quem mihi praeſtitui, haud referenda ſunt.

Ita ſumma Buidarum poteſtas, poſtquam per centum et viginti ac ſeptem annos floruerat, deſiit.

Exclamamus cum Elmacino Chriſtiano:

GLORIA SIT ILLI, CVIVS IMPERIVM NVNQVAM FINITVR.